6
11 - c
98

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 B
30

…otheca
…ll. Rom.
…Jesu

22

Collegii Barcinonensis [illegible]

Digitized by Google

Coll. Rom. Soc. Jesu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SCHEDIASMATVM

ACADEMICORVM

Pars Prima


ORATIONES

Sacras, et Ciuiles

Complectens.

Bib. Sup.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



SCHEDIASMATA ACADEMICA

Auctore

PETRO FRANCISCO PASSERINO

Protonotario Apoſtolico,

Philoſophiæ, Iuris vtriuſq. & S. Theolog. Doctore Colleg. SS. Inquiſit. Plac. Conſultore, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D.

ALEXANDRVM SCAPPIVM

Placent. Epiſc. et Comit. etc.



PLACENTIÆ

Apud Ioannem Bazachium Impreſs. Camer.

Super. permiſſu. Anno Sancto 1650.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Illuſtriſsime, ac Reuerendiſs. Præſul.

IVRE, ac merito fit, Præſul Illuſtriſs. vt, qui libros alicui dedicant, eum, vt plurimum deligant, quem vel propter excellentem Dignitatem, vel exquiſitam Doctrinam, vel etiam exi-

miam Probitatem vere idoneum dijudicent; Idipſum mihi ſæpe, ac ſæpius hactenus excogitanti, Tu ſemper ipſe magna cum animi mei voluptate ſtatim occurriſti, qui mira cum omnium acclamatione tria hæc complexus es vnus. Auitam, & Antiquam Illuſtriſsimæ Familiæ Tuæ Senatoriam Nobilitatem precellentiſſimis Epiſcopalis Infulæ, & Apoſtolici Nuncij Digni-

ta-

tatibus tam egregie, &
regie decoraſti, vt Te
Principes, & Populi
Purpura, & Regno donandum duxerint, Digniſſimumq; nemo non
dixerit. Cum verò perpauci planè ſint, qui
Sapientes ament, pauciores etiam, qui Sapientiæ ſtudeant, &
pauciſſimi omninò, qui
verè Sapiant; Tu tamen, Sapientum decus,
ac delicium, Sapientiam ipſam tàm impenſe colis, tàm perfe-

ctè tenes, vt non modo cordi Tibi Sapientes eſſe; ſed Tuo in corde Sapientiam ſedere, ac triumphare videamus. Quis autem ſingularem illam animi Tui Probitatem viuis Virtutum omnium tum coloribus expreſſam, tum ſplendoribus illuminatam, æquis oculis intueatur, qui in Te ipſo, tanquam in Speculo, perfectiſſimi Paſtoris imaginem non demiretur, & deuene-

retur?

retur? Tu enim, ſiue belli, ſiue famis, ſiue peſtilentis contagionis atrocitas Gregem Tuũ inuaſerit, nec tergus vnquam, ignauorum clypeum, vertiſti, nec territus es periculis, ſed pericula ipſe terruiſti, & patentia Martis, ac Mortis diſcrimina, aperta facie, ac terſa fronte, vidiſti, viciſti, & quò generoſius Vitam Tuam Gregi pretioſiſſimam pro ſalute Gregis quodammodo

prodegiſti, eò glorioſius Vitam ipſam in hanc vſque ſummæ ſenectutis viuacitatem mirum in modum produxiſti. Quicquid igitur hoc Opuſculi eſt, quòd Tibi quantum de mea humilitate ſolicitus, de Tua tantum humanitate ſecurus æquè ſuppliciter, atque audacter offero, ſi munerum Tuorum in me numerum inſpicias, penitus deſpicies; quòd ſi in eo mei in Te obſe-

quij,

quij, ac venerationis teſtimonium agnoſcas, eiuſdē tenuitati prorſus ignoſces. Hoc vt benigniſſime facias, mihique diutius faueas, Te, Literarum, ac Literatorum Mæcenas, Neſtoris in annos ſuperſtitem, ac ſoſpitem, volo, ac voueo

Plac. Id. Ian.
MDCL.

Tibi Æternum
Deditiſs. & Deuinctiſs. Ser.
Petrus Franciſcus Paſſerinus.

† 6 IN-

INDEX

SCHEDIASMATVM

Academicorum,

Quæ in hoc Volumine continentur.

PARS PRIMA

Orationes Sacras, & Ciuiles complectens.

STella Sole ſplendidior, ſiue de Stella, quæ Magis ad Bethlehemicum Antrum præluxit, Oratio. pag. 1.

Terra Cælo excelſior, ſiuè de Be-

Bethlemici Præſepis Excellentia Oratio. 29.

Pharetratus Pharetra factus, ſiuè de Sebaſtiani Martyris ſagittis Oratio. 54.

Laurus in igne virentior, ſiuè de S. Laurentij Martyrio Oratio. 73.

Theatralium Perſonarum ſpectabiliſſima, ſiuè de Oratore Microcoſmicæ fabulæ Actore omnium plauſibiliſſimo Oratio. 97.

Speculum Diuinæ Imaginis, ſiuè de Oratore Dei Imaginem in terris prȩſtantiſſimè præ ſe ferente Oratio. 133.

PARS

PARS SECVNDA

Præfecturarum, et Laurearum Collationes complectens.

Sympoſium Darianum, in quo propoſiti ab Academicis Griphi omnium optimus enodator Præfectura, et Plauſu donatur. 163.

Corona Obſidionalis ob Eloquentiæ Arcem, et Exercitũ ab Aduerſariorum Obſidione liberatam nouo Academię Principi donata. 209.

Laureæ ab Auctore in alma Vniuerſitate Placentina candidatis collatæ. 241.

PARS

PARS TERTIA

Symbolica, & Symbologica complectens.

Kalendarium Symbolicum, et ſyllabicũ XII. Diſticha complectens. 269.

Sphinx Ioco-ſeria, ſiuè Didecaſtichon Abecedariogrammaticomuſicopoëticogeorgicarchitectonicarithmeticogeometrichieroglyphicoiuridicophiloſophicotheologicũ. 300

Myſtica Prudentij Figura cum triplici in eam expoſitione. 335.

Proteus Chriſtianus Cryptographus,

phus, & Griphologus. 353.

Religionis Alpha, & Omega, ſiuè Hexaſtichon Chriſtianæ Perfectionis compēdiū. 379.

Doctiſſimorum Virorum Teſtimonia de Auctore Alphabetico ordine digeſta. 385.

Index Auctorum, et Rerum ſelectiorum. 419.

A P-

APPROBATIO.

SChediaſmata Academica Petri Franciſci Paſſerini Philoſophiæ, Iuris vtriuſque, et Sac. Theologiæ Doctoris Collegiati, Protonotarij Apoſtolici, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Placentiæ Conſultoris, Iuſsu Reuerendiſſimi P. M. Conſalui Gritij Placentiæ Inquiſitoris attentiſſime legi, & non modo nihil in eis Chriſtianę Fidei, probatiſue moribus abſonum inueni; ſed tot tantæ Eruditionis lumina deprehendi, & tam varias mirabilis Ingenij, mirabilia ſemper excogitantis, feliciſſimas inuentiones ſumma cum animi iucunditate didici, vt ſuauiſſimi, ac politiſſimi ſtyli candore, nouarumque re-

rerum pulchritudine, ac varietate omnes Eloquentiſſimi, atque Eruditiſſimi Viri numeros vnice mihi Paſſerinus expleuiſſe videatur. Regnant hic vernantes Auctoris flores; ſed autumnales breui fructus dabit. Prę manibus, ac propemodum in promptu Paſſerinus habet Encyclopædiã Marianam, Opus ferè immenſum; quòd, vt admirabilem Ingenij felicitatem, eximiamque Doctrinæ fœcunditatem, ita ſingularem Pietatem, ac Sapientiã arguit in Auctore. Hoc anxie, nedum auide, Docti omnes, Deiparęq; Cultores expectant, quòd procul dubio mox ſtupore venerantes ingenue fatebuntur, magnorum huiuſcemodi Ingeniorum proprium eſſe grandia

mo-

moliri, perpetuoq. curas Literariæ Reipublicæ tam vtiles alere, vt aut plures in terris Vitas, aut vnam omninò immortalem habere mereantur. Sic ſentio, ſic ſcribo. Placentiæ in Conuentu Sanctę Marię de Platea, Non. Ianuar. M D C L.

Fr. Michael Angelus Fariſetlus S. Theol. Doct. Coll. & Sanctiſs. Inquiſit. Conſultor.

Im-

Imprimatur.

Fr. Conſaluus Gritius Inquiſitor Placentiæ.

Io. Baptiſta Calix Vicarius Generalis.

Vid. Faber Præſes Magiſt.

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

STELLA

SOLE SPLENDIDIOR,

SIVE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE STELLA, QVÆ MAGIS

Ad Bethlehemicum Antrum Præluxit.

ORATIO.

TOtus Terrarum Orbis, Academici, Cælique ambitus vniuerſus Auguſtiſsimum hodiernæ lucis Myſterium ſtupefactus intuetur. Stupent Magi, dum Regum Maximum Regie ſalutaturi, intra tuguriolum, in

humili latentem pręſepio, algentem Pupulum ſibi adorandum conſpicantur. Stupent Bethlehemitæ, qui Orientales Reges ſpeluncam ingreſſos pretioſiſſima munera recens orto intra paleas Regi venerabundos obtuliſſe perſpiciunt. Stupent Gentes, quæ noui Sideris intuentes vicinitatem, Cælumne Terræ, an Terra Cælo propius acceſſerit, an vtrumq. ſimul nouam fecerint ſocietatem, ignorant. Stupent Inferi, Humani generis inimici, qui Deum verum, nuperrime Corporatum, vel in ſtabulo iacentem, ab Idolo latris adoratum demirantur. Stupent Cælites, qui tantam ſui eſſe Monarchæ Maieſtatem comperiunt, vt in sũma quoq. egeſtate, viliſſimoq.

Ter-

Terræ gurguſtio, quaſi ementito in habitu deliteſcens, Regiam nihilominus Nobilitatem, Dignitatemq. ſpirans, vel à remotiſſimis Regibus primum viſus, ſtatim cognitus, Rex Regum decernatur. Stupent denique creaturæ omnes, quæ Deum ipſum rerum omnium Creatorem Creaturam factum agnoſcunt, vt Creaturarum aliqua nō deeſſet, quæ Diuinis coli poſſet honoribus; & dum illis omnibus ſimillima Paſtores, & Reges, alioſq. omnes ad ſui amorem allicit, omnes indidem ad verum Creatoris ipſius cultum Creaturas perduceret. Iam mihi in id acrius intuenti potiorne ſuppetat eloquendi cauſa, an admirationis, quæ linguam, ſenſuſq. omnes

præpedire ſolet, Vos ipſi amabò perpendite. Verum quia Sidus illud fulgentiſſimum, quod Chriſti Natalitijs in Oriente emicuit, Magoſq. ad Diuini Regis incunabula perduxit, non ſtuporem modo, ſed intuentibus lucem attulit, & ſplendorem, quo, tanquam ſecretiore Cæleſtis Numinis afflatu, mirabiliter inſtincti, ac inſtructi, eloquentes fierent coram Herode, duriſſimoq. anni tempore, imperterriti, ſummis cum laboribus, adeo longum, ac periculoſum iter emetirentur, illud ipſum Hodie, ſicuti nos etiam allicit, ac inuitat, vt de ſe ipſo paucis philoſophemur, ita Nobis (bene auguror) facem præferet ad dicendum, quò tantæ Lucis, ac Ducis iter inſecuti,

tuto

tuto tandem manibus, & pedibus eam eamus in ſententiam, vt STELLAM iſtam ſtellis omnibus, atq. SOLE ipſo SPLENDIDIOREM eſſe ſtatuamus. Lunam neſcioqui Hebræi, cum primum illuminari, & à Sole dependere, mutuatitiumq. ad congreſſiones cum illo, digreſſioneſque lumen commutare cæpit, inuidiſſe Soli mentiuntur: atqui certe, ſi in ſuperna illa luminaria cadere poſſet inuidia, ſidera omnia vni huic ſtellæ mirum quantum inuidiſſent. Neq. enim, Academici, hæc de cæleſtium aſtrorum numero, aut de æthereæ regionis ſideribus vnum quodpiam fuit, non ex inerrantibus ſignis, aut ex planetis vnus; ſed nouum quoddam, inſolitumq. Meteoron;

ron; non naturali; ſed Angelica, vel Diuina virtute conflatum, eximiæ lucis fulgore conſperſum; non ſuapte vi, ſed Angeli alicuius miniſterio delatum; quod ſplendidiſſimis quibuſque Cæli luminibus cum admirabili radiorum luce, tum ſingulari ſui muneris dignitate longe, multumq. antecellebat. Ac primum quidem omnes illa ſtellas proprio quodam, ingeneratoq. fulgore ſuperauit: aſtra ſiquidem ætherea ſingulis diebus oriuntur, & occidunt; illa vero nullum patiebatur occaſum, ſpectandamq. ſeſe perpetuo dabat. Aſtra eundem illum motuum ſuorum inuariabilem motum ſeruare coguntur, nec ab eo tantillum vnquam vacare poſſunt: illa, dum

opus

opus erat, occultabatur, moxq. Terris vicina, quēadmodum antiqua illa Iſraëlitici populi Columna Hebræis olim in ſolitudine præluxit, recta præcedens Magis iter indicabat, properabat cũ properãtibus, quieſcebat cum quieſcentibus, & dum Reges exultant præ lætitia, ſplendidius illa ſcintillat ad triumphum. Præſtitit etiã AA. pulcherrimo illi, nouiſſimoq. Lunæ ſideri, quanquam id terris familiariſſimum, & in tenebrarum remedium à natura repertum, aſtrorum omnium vincit admirationem, & multiplici ſemper ambage contemplantium torſit ingenia. Luna enim noctu tantum lucet, alternus enim illius fulgor, tamquam lucifugus, tenebris indiget, vt fulgeat, cum

 diur-

diurna lux illum obumbret, & abſcondat: illa vero, vere Regia Stella, interdiu quoq. fulgebat, lucemq. ipſam illuſtrabat meridianam. Quid plura? ampliſſimum illum totius lucis, quæ in alijs quibuſcunq. ſideribus in eſt, auctorem, admirabiliſſimum rerum omnium, quæ aſpectu ſentiuntur, ſpectaculum, Diuinęq. Poteſtatis, ac Magnificentiæ prę clariſſimum Monumentum, Solem ipſum anteceluit. Sol enim per diem ſolum refulget, nocturniſq. tenebris obliteſcens ſuos turpiter obcæcat ſpectatores. Sed noctis illa decus, & Solis æmula facta, ſupera, inferaq. omnia ſplendore ſuo circumfundens, continenter omnium in ſe oculos quodammodo conuertebat.

bat. Vicit, inquam, vt paucis omnia complectar, formoſiſſimum Sidus hoc noſtrum Solis, & Lunę, Siderum, ac Planetarum omnium nitidiſſimam lucem, ſtelliferumq. Cęlum ipſum immanem luminum multitudinem cælans: nec enim hactenus horum omnium ſplendor toties ab omnibus viſus, tantæ fuit vnquam Sapientiſſimis illis Orientis Regibus admirationi, vt ea perciti in remotiſſimas vſq. terras abriperentur: nunquam illos ille ad tantum Diuinarum rerum amorem excitare potuit, vt patria, Regnoque ſpreto, cæleſtia tantummodo viſa libentiſſime proſequerentur: non ille vnquam Magorum oculos tanta radiorum luce compleuit, vt diſ-

cuſſis vanarum ſuperſtitionũ tenebris, excelſiſſimum rerum omnium auctorem Deum videre poſſent. Iſta omnia ſtellarum hæc vna ſemel orta, ſemel viſa, præclara lucis ſuæ formoſitate perfecit: reliqua omnia Cæli aſtra cum Sole, & Luna Chorus illius erant, quæ dum oculis oſtẽdebatur inſolita, nec animis eſſe potuit obſcura: & dum ad ſe Reges luce alliciebat externa, ad iter eos face accendebat interna: quæ non tam videri appetebat, quam cognoſci, & quos ſui ſpectatores effecit, eos ſibi viæ ſectatores adiunxit. Solis illa quidem curſum Magos edocuiſſe viſa eſt, cum enim Sol ipſe ex Oriente per Occidentem in Orientem rurſus percurrat, ſuis

illa

illa quoq; Regibus viſendam ſe præbuit in Oriente; Occidentem vero pertranſiens, nimirum Hieroſolymam, in Orientem eos iterũ, ad Bethlehemicum videlicet antrum, vbi Sol Oriens viſebatur, feliciſſime perduxit; at vero Stellæ lux quanto Solis ipſa luce ſpectabilior fuit? quanto iter ipſum admirabilius? quanto cariorem illa diem attulit? quanto veriorem adijt Occidentem, clarioremque venit in Orientem? Admiranda enim luce ſua, potentioris hæc Solis alicuius inſtar, Gentium ſolitudinem illuſtrans eam illico amæniſsimum vertit in Paradiſum, qui ſtatim floribus exuberans, ſuauiſsimoſque Deo fructus exhibens, Iudeę gloriam meruit, & decorem.

 Hæc

Hæc Magis, qui à pulcherrimo illius aſpectu ſtupefacti conſtantiſsime pendebant, nouum illud iter præmonſtrauit, quo emenſo, è denſiſſimis ſe tenebris in apertam, clariſsimamq. Cæli lucem prodijſſe, & ab Inferis quodammodo excitatos reuixiſſe, nec tam ſe è Regno, ac delicijs exteras in gentes, ac humilem in ſpeluncam, quam è tæterrimo carcere, æternîſq. cruciatibus ſuam in Patriam, veram in libertatem, ad aſtra ipſa, perpetuamq. Regum, ac Cælitum omnium Beatitudinem translatos experiuntur. Hæc formoſiſsimum diem illum procreauit, qui nunquam antea viſus vniuerſum Terrarum Orbem ſuo exhilarauit aduentu, qui diuturnam il-

lam, denſiſsimamq. Gentium noctem, in qua tam multa hominum ſæcula iam ante conſepulta iacuerant, ea veritatis luce, quæ tunc Gentibus quoq. diuinitus affulſit, mirabiliter diſiecit: quo, inquã, die Idololatrarũ primitiæ, noſtriq. progenitores Magi veræ Fidei poſſeſsionem adierunt, & proinde tres Orbis partes Europa, Aſia, & Africa, trium illorum Regum exemplar inſecutæ, Chriſti Maieſtatem, qui Patris æterni Numen Humano generi infenſum placaturus aduenerat, in ipſis paleis, in ſpelunca, in præſepio cognouère: Etiam nunc meridiano in Sole animi noſtri altiſsima cæcutirent in nocte, niſi Diuina illa Tua, Sidus optimum, Terris dies illuxiſſet.

Me-

Merito ſane non in Occidente; ſed in Oriente Stella noſtra viſa eſt, quæ non Occaſum, interitumq. hominum, ſed Salutem, lucemq. indicabat Orientem. Te vero, Hieroſolyma, quam vere Occidentem appellauero, vbi, non ſolum Stella ipſa, quæ Magos eò perduxerat, deliteſcere, Occaſumq. ſubire parumper viſa eſt; ſed verus ille Sol Chriſtus occidit, Occaſumq. iam tum Herodes illi meditabatur? veriſſimum hunc igitur Occidentem dum Magi ab Oriente digreſsi prętereunt, in Orientem iterum, priſtina Stella duce, in Bethlehemicum videlicet ſpecum, Diuini Infantis natalibus inſignem, reuertuntur: ſed quantus hic, Bone Deus, quã verus, & quam

mirus

mirus eſt æterni Solis Oriens? quanto eſt Oriente illo nobilior, in quo Sol oritur Mundanus, cum non Corporum hic ſed Animorum; non Solis fulgor, ſed Solis Auctor enaſcatur? O vere mirificiſsimam Stellam, quæ nouum hunc noui Solis curſum Mortalibus aperuiſti! Quo te vnquam nomine digne compellabo? eam, Auditores, ſplendidiſſimum dicerem Cometam, id enim à nonnullis dictum audio; ſed cum iſti diſsimili agitentur motu, cum ſub diurno euaneſcant lumine, plurimumq. à Terris diſtare videantur, quæ omnia in præcellentiſsimam Stellam illam minime conueniunt; Cometen illam extitiſſe prorſus inficior: eoque magis quoniam

pro-

propterea in Cælo Aſtrologi ſę-
pe Cometas obſeruant, quia
maris tempeſtates, terrę ſterili-
tatem, hominum morbos, ac
mortem vulgo portendere dicun-
tur: noſtri vero Magi non per-
nicioſum Cometam, ſed ſaluta-
rem Stellam in Oriente compe-
rère, quę non tempeſtatem, ſed
Cęli ſerenitatem; non ſterilita-
tem, ſed incredibilem vberta-
tem; non morbos, ſed ſalutem;
non mortem, ſed Vitam, eamq.
ſempiternam pollicebatur. Quid
igitur eam fuiſſe ſtatuemus Au-
ditores? Nouumne caligantis
Orbis oculum, qui veterem illi-
us innouauerit aſpectum? Cæle-
ſtemne quandam vel Diuinam,
vel Angelicam Virtutem, quæ
rationis plena, vt cum Chryſo-
ſtomo

ſtomo loquamur, ſideris præ ſe ferant imaginem? Ipſiſſimumne Spiritum Sanctum, qui, vt ſe olim Diſcipulis, velut ignem, & ſupra Chriſtum in Iordane, quaſi Columbam, ſpectabilem præbuit, ita Stellæ forma Magis apparuerit? Sed hæc altiora forſan, difficilioraque putarentur, quam vt hominum lingua pro dignitate ſatis audeat explicare. Te enimuero, ſidus aureum, audacter ego facundiſſimam Cælorum Linguam prædicabo, quæ ſola præſtantiſſimam Dei Gloriam palam enarraſti: quæ ſola, inuſitatum Virginis partum inuſitato fulgore detexiſti, cui poſtea nō amplius apparenti Euangelium toto Orbe ſucceſſit. Ignitum Sideris huius Eloquium, in

corda, ne dum in oſſa, profluens auditorum, ſine Verbis Verbum illud enunciauit, quod vnum Regibus ipſis Regnorum deſpicientiam nouo plane magiſterio perſuauit. Noua hæc docentis è Cælo Stellæ vox, ignaræ Mortalitatis Inſtitutrix, & Magiſtra Veritatis, vanas aſtrorum diuinationes eſſe perdocuit, cum Stellarum cultoribus Stellarum opificem, quem vnum digne colerent, indicauit. Hæc, inquam, Stellarum omnium eloquentiſſima, audita Magorum quæſtione, Vbinam Iudæorum Regem recens ortum exquirent? eos ſtatim extra Hieroſolymæ Vrbem, procul à delicijs, ac faſtu, quaſi Diſcipulos eruditiſſima præceptrix ad antra, Suada potentior,

euo-

euocauit; vbi male quidem materiatum ſupergreſſa tugurium; ſed Diuino Corporati Numinis hoſpitio feliciſſimum, vagientem Pupulum, panniculis obuolutum, veluti Solem nubibus velatum, Supremum rerum omnium Molitorem eſſe pronunciauit: hic, exclamat illa, in præſepio iacet, qui natus eſt Rex Iudęorum: non decumbit in templo, non fulget in purpura; ſed hoc ſqualet in antro, hoc latet in gurguſtio; quę proinde à Magis Chriſti Stella, Vidimus, inquiunt, Stellam eius, quaſi Solis Lucifer infiniti, nuncupata eſt; quia videlicet illius promulgabat exortum. quanquam enim Stellæ omnes, vt potè ab eodem conditore conditæ, Conditoris eiuſdem ſunt; hæc ta-

tamen vna magis Chriſti propria erat, quæ Chriſti propius antegradiebatur aduentum: illæ quidem omnes in Cælo, quaſi faces à Deo, artificio mirabili, ſuccenſæ ſunt, vt Vniuerſitatis huius tempora, curſuſq. diſtinguerent, eſſentq. in Signa, in ſigna, inquam, pluuiæ, ſerenitatis, rerumque huiuſmodi naturalium; hanc vero cæterarum omnium longe micantiſſimam extulit in ſublime ſublimis Faber, vt rei, quæ totius ſuperat naturę curſum, Chriſti nempe nati, ſignum eſſet. Quid hoc, Auditores, ſignificatu maius, quid hoc munere prȩſtantius excogitari poteſt? quam libenter aſtra omnia, & Sol ipſe ſuis auulſus ſedibus tantę rei Signum ocyſſime dediſſent? quan-

quanto gaudio tam lętum nuncium omni lętitia, plauſuq. digniſſimum nobis attuliſſent? quanta cum exultatione Cęli Regem è Cęli Regia deuenientem in Terras pręcurriſſent, vt eundem in Terris, quaſi perſonatum, cum Magis inuiſere, ac inſeruire poſſent? O vos ergo mire fortunatos Magos, ò vere felices Aſtrologos, qui familiari ſigno, ortu nimirum noui ſideris excitati, tanti Solis immenſam altitudinem, infinitamq. demiſſionem, Fidei aſtrolabio, vt cum Aſtrologis etiam loquamur, in ipſo contemplantes Oriente, altiſſimum Gradum Patris ęterni ſinum, ſummam vero demiſsionem Stabulum eſſe reperiſtis: qui & nouam in Cælo Stellam, & mo-

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE ROMA VITTORIO EMANUELE

nouum in Terris Solem; in Terra Cęlum, in Cęlo Terram; in Deo Hominem, & in Homine Deum obſeruaſtis. O beatos Reges, qui nouo ducti Sidere nouum Orbem, nouumq. Cælum inueniſtis; Orbem quidem locupletiſſimum; Cęlum autem opulentiſſimum, nouam nempe Matrem, nouumq. Filium, Cęleſtibus diuitijs refertiſſimos: noua Mater eſt Mater, & Virgo: nouus Filius Deus, & Homo, diuitiarum omnium Pelagus Infinitum. O feliciſſimam inuentionem! quid puero Ieſu, & Matre Maria pretioſius vnquam poterat, vel admirabilius inueniri? At vero prorſus hic obmuteſcendum nobis eſt: nullus hic humanę linguę locus; nec exterioribus,

ſed

ſed internis,intẽtiſq. mentis oculis intuenda, quę adoratione melius, quam allocutione veneramur: propterea enim cadunt hic etiam in genua Magi, Regalibuſq. coronis (par enim fuerat, vt ante ſummum Regem abſq. diademate, & ſceptro in præſepio iacentem, coronam ſerui, ſceptrumq. deponerent) non ante ſublimem Thronum, ſed ante præſepis ergaſtulum, ad Infantis pedes abiectis, verum Iudęorum Regem, quem exquiſierant, verumq. Deum ſuum, non in ſuperbo tantum ſiderum ſolio; ſed in ſordido quoq. ſtabuli gurguſtio agnoſcentes; humi proſtrati, obſequioſo ſilentio, Diuinę Sapientię Maieſtatem ſupplices adorarunt. quem enim

vn-

vnquam, ſi Deum ipſum totiu eloquentiæ, doctrinæq. Parentem Infantem animaduertat, coram ipſo quantulocumq. verborum ſtrepitu deblaterare non pudeat? ſed quò magis voce ſilent, eò altius corde exclamant, & quò minus ore loquuntur ad Infantem, eò plura Infans in illorum aures leniſſime infundit. Vnde in externa illa paupertate, antriq. ſitu, ac ſqualore Diuinas Pueruli opes terrenis omnibus multo ampliores, Regnum multo nobilius, Sceptrum multo præclarius, Coronam, multo fulgentiorem conſpicantur; Coronam, inquam, Sceptrum, & Regnum non ex hoc mundo; ſed Cęleſtia, nam & Rex ipſe, & Regis adoratores Magi Cęleſtes erant,

id quod Cæleſtis quoq. Stella
prænunciauerat. Sed interim
quid video? quid repente no-
ſtrum hoc Sidus, quo nullum
fuerat æternitate dignius, euane-
ſcit? Anne, quia vicino Sole ſi-
dera quælibet occidere ſoleant?
Anne, quia, ſiderum conditore
in tenebris quodammodo laten-
te, ſidera omnia pudeat effulge-
re? Anne, quia, Cæli luce velata,
Cæli quoq. lumina deliteſcant,
neceſſe ſit? Anne, quia externis
nihil iam oculis Stella opus erat
externa, internis interna, Fidei
nimirum luce, lucidius affulgen-
te, quæ natum in antro Pupulum
Cæli, Terræq. Deum diuinitus
indicabat? ideone, vt vero illi
Deo non hominum oculis appa-
rentem fulgorem; ſed puriſſimum

animorum decorem, veramque ſubmiſſionem gratam eſſe doceremur? ideone, vt Infantem illum eſſe, à quo condita fuerant, voluntaria morte teſtaretur? ideone, vt apud Cælites Deum proxime intuentes nullum Fidei, quam Stella repræſentabat, locum eſſe intelligeremus? Anne, vt ſe miſſam ab eo ſignificaret, à quo, vt redijt, occultabatur? Anne, vt Infantem illum crederemus, qui vel Stellas ipſas in nihilum redigere nutu ſuo poſſit? Anne, quia tremulus is ipſe Pupulus Deus ille potentiſſimus eſt, ante cuius oculos, vel puriſſimæ Stellæ vix audeant apparere? Anne tandem, quia vera Fides Lynceos habet oculos, Deumq. ſuum, vel ſine Stellarum ope, agno-

agnoſcere poteſt? vere vtique omnia: Sed aliam, præcipuamq. huiuſce mihi facti rationem videor intueri: Ideo Stellam ego: deductis ad Ieſu cunabula Magis, ibi delituiſſe, extinguiq. viſam crediderim, vt inde nos ipſi cognoſceremus, ita Chriſtum quærendum, conueniendumque nobis eſſe, vt ab eo nulla vnquã ratione diuellamur, & cum ipſo vita noſtra perfuncti diem quoq. ſummum obeamus. Huc ergo cum Magis à Stella perducti, hic etiam cum Chriſto ſiſtere debemus, & quandoquidem Stella ipſa noſtri dux itineris hic iã occubuit, hic nos itidem dicendi finem facientes, STELLAM quidem luce, ac munere aſtris omnibus, & SOLE ipſo

SPLENDIDIOREM admiremur, ſed Diuino huic Infanti, vt rerum omnium largitori, quam poſſumus maximas, pro noui ſideris beneficio Gratias referentes, perpetuæ illus ſeruituti ex animo animum ipſum, & ad vltimum vſq. vitę ſpiritum ſpiritus omnes libentiſſime mancipemus.

TER-

TERRA
CÆLO EXCELSIOR.
SIVE
DE BETHLEMICI
PRÆSEPIS
Excellentia
ORATIO.

MAgna illa Mortalium Mater, Matrum omnium, Antiquiſſima, pro Patre Deum, pro Marito Cælum iactare ſolita, quæ quotannis hucuſq; adoleſcente vere iuueniliter vireſcere; ſed adulta eſtate ſeniliter

caneſcere , obeunte autumno ſuimet obitus præſaga palleſcere, hyemeq. tandem adueniente quodam modo calueſcere , ac propemodum cinereſcere viſa eſt, iam Bethlemicum demirata Præſepium , quod beatiſſima Supremi Numinis Maieſtas vltro ſibi in cunas, ac delicias, immo verius in templum, ac ſolium elegit, tantos hinc animos ſibi illa ſumpſit, vt exiguæ ſpecus illius amplitudine, ac excelſitate gloriabunda, vel in hoc ipſo ſæuientis hyemis rigore infinitis partibus, quam vnquam antea, gratioſius repuellaſcens, magnificentiſſime ſibi de cunctis elementis, de aſtris omnibus, de cęlo ipſo, ac de totius Vniuerſitatis huius gloria triũphare videa-

tur.

tur. Hanc ego Bethlemici Præſe-
pij ſcrutaturus admirabilitatem,
quì vnquam potero, Academici,
propius accedendo tantos illos
ſine hallucinatione radios intueri;
nedum humilius dicendo ſplen-
dorem addere Præſepio, quod
verus ſol ipſe radijs illuſtrat? Tu
mihi amabiliſſime Pupule Præ-
ſepis huius amantiſſime (balbu-
tientem hominem, dum vagis ip-
ſe Deus, non dedignature) iam
animo cadenti incomprehenſi-
bili benignitate tua, quæ totum
terrarum orbem, cęlique ambi-
tum vniuerſum in ſui nunc alli-
cit admirationem, diuiniſſimæ
lucis illius aliquantillum imper-
tire, qua vix perfuſus, mox bea-
tus, enarrare ſi nequeam, ſaltem
innuere, & aſtantium intra paſto-

rum pompam venerabundus ſuſpicere, contemplarique valeam palearum dignitatem, quæ sũmi omnium fouent Imperatoris Maieſtatem. Neq. vero ignoro, aut inficior, Auditores, Bethlemicum hocce Præſepium nil aliud cæteroquin, quam viliſſimum terræ gurguſtium, brutorum, non hominum vſibus deſtinatum, & male materiatum tugurium extitiſſe (quid enim præter gurguſtia, præter tuguria reperiret in terris, qui Cęlum reliquiſſet?) at poſtquam in Diuinum Domini domicilium euaſit, eius eſſe dignitatis affirmate pronuncio, breuique orationis meæ gyro demonſtrare conabor, vt iure terra vniuerſa præ illo non modo nihil ſe primæuum curare decus, nihili

an-

antiquas naturæ opes, aut artis ornamenta facere; ſed vni huic Præſepio cætera omnia diuinæ erga ſe potentiæ, magnificentiæq. poſt habere prodigia, pleno ore fateatur.

Enimuero vaſta hæc (Gigantæamne dicam Matronam, an Gigantum Matrem?) Terrę moles iure ſuam olim antiquitatem, & nobilitatem, magnitudinem, & pulcritudinem, conſtantiam, & præſtantiam prædicabat: licet enim ſitu, naturaque ſua infimum in hoc mundo locum habeat, à Deo nihilominus tàm multis, tàmq. præclaris ornata dotibus apparet, vt inter omnes mundi partes facilè ſibi principatum nacta videatur. Hæret hæc in orbis medio, ſtabili, fir-

maque ratione ſuſpenſa, paribus examinata ponderibus, diuinoq. nuta ſeſe vndiq. complexa mirum in modum conglobatur. Quid autem tam varia illius facie,& multiformi partium diſtinctione viſu pulcrius, aut iucundius eſſe poteſt? quæ ſemper eadem, sēper alia, rotunda ſimul, & forma diſpar, nunc his, nunc illis tincta coloribus, perpetuo inſatiabili rerũ varietate diſtinguitur: nã montibus ſublimiter ardua, vallibus molliter elata, ſpecubus multifariam caua, fluuiorum decurſu irrigua, fontium ſcatebris amæna, lacubus,& ſtagnis fæcunda, virens herbis, decora floribus, diues fructibus, veſtita arboribus, altiſſimis inumbrata ſyluis, denſiſſimis opa-

cata

cata nemoribus, tantis victoriarum trophæis onuſta, tantis Regum nobilitata ſolijs, tantis honorum inſignita titulis, tantis Imperatorum ſuperba triumphis, tot illuſtribus honeſtata cognomentis, tot multigenarum animantium ſpeciebus habitata, tot variorum ædificiorum formis exornata, nulla ſui parte inutilis, nulla propemodum infructuoſa, ſua intra viſcera tam multiplicem gemmarum picturam, tam diſcolores lapidum maculas, tãtam auri, argentique copiam, tantam metallorũ omnium opulentiam, tantas, inquam, pretioſiſſimarum rerum diuitias, ac delicias, tantoſque theſauros occultans, omnem humani luxus, ac faſtus materiam cumulatiſſime

ſuppeditat. Sed quid hæc erunt omnia ad inenarrabilem illam vnius auguſtiſſimi, ſanctiſſimique Præſepij honorem, ac decorem, fæcunditatem, ac dignitatem, pretium, ac præſtantiam? Hæſit terra quidẽ, quaſi regina, in mundi sẽper medio; at prę immenſa conditæ naturæ vniuerſitate puncti ſemper inſtar habuit; Punctum eſt enim, in quo tumultuatur humanum genus; Punctum eſt, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur; Punctum eſt AA. & quidem nullo fulcro ſuflultum, & in aere libratum, quicquid hactenus Terra ſuſtentauit, & oſtentauit; nunc verò Ieſu ſortita Præſepium, latitudinum omnium immenſitate maior, exigui ſtraminis in medio,

mun-

mundi totius ambitu incomprehenſibilem continet. Altiſſimos illa montes olim,profundiſſimaſque valles efferre conſueuit; ſed iam paruulum intra Præſepium in Deo hominem, in homine Deum conſpicata, tantæ hic humilitatis valles, tantæq. ſublimitatis montes animaduertit, quos neq. ſupernarum ipſa mentium acies valeat emetiri. Auriferorum illa fluminum, medicatorũque fontium vtilitatem oſtentabat, ac ſalubritatem; ſed iam, inaudito rei prodigio, medijs in paleis omnibus illa morbis ſalutaris aqua ſcaturijt, quę ſalutem afferit animo, quæ caducarum ſola rerum ſitim pellit, æternamque explere poteſt, quæ fons facta vitæ æternæ vitalem vere vi-

ua

ua vitā omnibus impertit. Odoratiſſimos illa flores ſuo è gremio prodeuntes, veri veris,anniq. renaſcentis indices, varias illorum picturas, numerum, venuſtatem, elegentiam in certamen vſque luxuriantem iactitabat; ſed iam, aridis ipſis Bethlemici Præſepij floreſcentibus ſtipulis, Flos ille Ieſſæus humanitate candidus, Diuinitate aureus, odore, fructuque mirificiſſimus apparuit, Flos Virginitatis, Flos Maieſtatis, cuius candore tenebræ fugantur, cuius odore mortui ſuſcitantur, cuius tactu leproſi mundantur, ægrotique omnes conualeſcunt: qui non, vt alij, ſolem in cælo Patrem, in terra plantam habet Matrem; ſed Patre in cælo Deo, Virgine in terra Matre, pro calo-

re

re ſolis, roriſq. defluxu ſpiritu ſancto inumbrante,Diuinæq. rore gratiæ depluente, virtutum omnium coloribus picturatus, nullo vnquam tempore marceſcens, orbis vniuerſi decor, æternam beatiſſimi veris tempeſtatem, regnique cęlorum delicias iam omnibus expoſitas aduentaſſe prænunciat. Animantium illa diſſimillimorum varietate geſtiebat; ſed iam intra noui huius Præſepij vlnas tantam ſuſpiciens duarum naturarum, Diuinæ, & Humanæ in vna Infantuli perſona coniunctionem, vt idem ipſe & verus Deus ſit, & verus Homo, nihil hac vna vnquam tam noua animantium ſpecie illuſtrius, & admirabilius, nec extitiſſe,nec eſſe,aut concipi poſ-

ſe pleno ore profitetur. Fatidicos illa ſpecus habuiſſe nonnullibi ferebatur, quorum exhalatione temulenti futura præcinerent; ſed hæc aut efficta, aut non tam naturæ potentia, quam vi, & Dęmonum fallacia perdendis impia ſuperſtitione hominibus effecta ſunt: Noſtri vero Præſepis huius Numen Gratię plenum eſt, & Veritatis, Oraculorum Oraculum, in quo Spiritus Domini requieſcit, quod Diuinum ipſum Verbum eſt, quod omnes Scientiæ, & Sapientiæ Dei theſaurus exponit, totiuſq. Diuinitatis plenitudo eſt. Superbiſſimos illa Dalmaticos olim, Aſiaticos, Macedonicos, Africanos inuſitata pompa, nouaq. forma celeberrimos triumphos extollebat:

bat: ſed iam, viſo Præſepis apparatu, præclariſſimum hunc triumphorum omnium admiratur: in quo Triumphator Cæli, Terræq. Conditor eſt; Sceptrum Diuina Charitas;currus Præſepium; ductores Angeli; præeuntes tubæ Prophetarum, Sybillarumque vaticinia; inſequentes Apoſtoli,Euangeliorumq. præcones; Triumphanti aſſiſtunt Maria Mater, & Ioſephus; captiui ducuntur Inferorum Principes cacodæmones, Mundi faſtus, & Carnis illecebræ; Capitolium Æterna gloria;Spectatores totus orbis, ſidera ipſa, Cęlum vniuerſum; Acclamationes, & plauſus Humanæ naturę voces ſtupentis, atque ex primo ſtatim Præſepis aſpectu teſtificantis vna vnius

Pu-

Pupuli illius ſic triumphãtis opera ab æterna ſe diriſſimæ mortis tyrannide liberatam. O Diuiniſſimum triumphum nouitate primum, admirabilitate maximum, ſplendore nulli conferendum. Aegyptias illa pyramides, Babylonicos muros, Epheſiæ Dianæ Fanum, Iouis Olympici ſimulacrum, Mauſoleum ſepulcrum, Rhodium coloſſum, Phariam turrim, Cyri regiam, penſiles Semiramidis hortos, Alexandri thronum, Romanum Capitolium, Salomonis ſolium, Hieroſolymitanum templum, Dei Arcã, ſimiliaq. ſua hæc cantatiſſima toto in Orbe miracula, & Dei dona meritiſſimo quondã plurimi ſemper inter alia omnia pendebat: Sed iam ſtramineum

hoc

hoc Ieſu Chriſti Præſepium tãto ijs eſt omnibus auguſtius, quãto ijſdem eſt anguſtius: quod porrò tàm altum ſimul eſt, vt pyramidibus omnibus, & obeliſcis excelſius, cęlo ipſi æquale, Angelos vna, Deumq. pariter ſuo recipiat in ſinu: tam latè patens, vt quouis muro, marique pariter ſpatioſius, totum illud Diuinitatis pelagus infinitum, quod nulla vnquam locorum ſpatia ambire poſſunt, ſatis, ſuperque ſuis in vlnis recludat: tam regale, vt quolibet Regũ ſolio ditius, ſummi Regum omnium Regis Regia factum, nulla re externa indigeat ad ornatum, quod in ſe omnia complectitur ornamenta: tam pretioſum, vt ſuis eum habeat in theſauris, cuius nutu quicquid

pre-

pretioſorum eſt, minino tempo-
ris puncto, ex nihilo creari, in
idemque rurſum redigi poteſt:
tam ſanctum, vt quem nulla ali-
as templorum adyta videre po-
tuerunt, Chriſtum habeat humi-
le Præſepium. Fulgeat quantum
velit auro Salomicum templum,
candelabris, menſis, vaſiſque
ſplendeat auratis, atrijs ampliſſi-
mis, ſacrificijs, ſacerdotumque
miniſterio exornetur, Arca Dei
deniq. emineat: Bethlemico ta-
men Præſepio tanto ſemper in-
ferius erit, quantò Ieſus vera Dei
Arca, quam vetus illa Fæderis
adumbrabat, quaſi viuum cor-
pus ſua ipſius vmbra dignius ha-
beri debet. Infantulus iſte veri-
ùs, quam Hebręorum Arca, om-
nia Dei deſiderabilia dicendus
eſt,

eſt, ex quo pretium, quo redempti ſumus, effuſiſſime depromptum; Fęderis, ac Amicitiæ Arca eſt, quia inter nos, & Deum initæ pacis auctor eſt; Teſtimonij Arca eſt, eximium enim Dei erga nos amorem, ac Iuſtitiam ab hoc Pupulo pro hominibus tolerandi cruciatus abundè teſtabuntur, qui tot habiturus eſt teſtes, quod vulnera. O veriſſimam ergo Bethlemici Præſepis Arcam typica illa infinitis omninò partibus admirabiliorem. O Sacerrimum Præſepium, in quo tanta Dei gloria non per nebulas interniuit; ſed omni ſublata caligine coruſcauit. Sed quid obſecro inuidioſo ſilentio Paradisũ Voluptatis pręteribo? quid illo in terris pulcrius, & amęnius? quid

quid eo sãctius, ac beatius excogitari potuit? Terrę hic totius enimuero ſplendor erat, ac ornamentum, quo illa, tanquã formoſiore mundi parte, mirabiliter exultabat. At quid nihilominus id erit ad ſupremam Bethlemici Pręſepij magnificentiã, ad illius decorem prorſus incomparabilem, ad optabilium bonorũ abundantiſſimã in eo affluentiã, & affluẽtiſſimam abũdantiã, cęterarum omnium feliciſſimam? Conferte mecum AA. fontem illum, qui è Paradiſo egreſſus vniuersã irrigabat terram, cum hoc Vitę Fonte Ieſu puerulo, qui è Pręſepis anguſtijs prodiens totum orbem ſuis è ſceleribus expiauit; facilè inuenientis, quãto fons iſte ſuauior, ac diuinior illo

eſt,

eſt, tanto cęleſtem iſtum in terra Paradiſum, Pręſepium dico, terreſtri illo fęcũdiorem, ac beatiorem extitiſſe. Egrediebatur ex illo fluuius, qui quatuor in capita diuiſus plagas omnes fęcundabat: atqui ex huius Bethlemici Paradiſi alueo Diuina egreſſa ſunt Oracula, qui quatuor Euangeliorum in omnes diſtincta toto diffunduntur orbe, & vel faſtidientibus ipſis dulce nectar propinantia ęternam morientibus vitam infundunt. Quem hominem, Deus immortalis, in eo poſitum ſcimus; quem alium in Pręſepio videmus? recens ille è luto factus, ac fictus; dierum hic antiquiſſimus, Verbum Dei, & Deus Verbum, quod apud Deũ vel in principio fuit: quantum

ve-

verò ſecundus hic primo antecelluit Adamo, tantùm planè cęleſtem hunc quoque Paradiſum primo illi anteſtare dicitote. Lignum in eo Vitę ſuſpicere poteramus, quod non modo conſeruaſſet, verum etiam hominis vitam in longinquum extendiſſet, eumque nullo morbo, aut ſenectute extabeſcentem continua quadam hilaritate ad plurimas ſęculorum vices ſoſpitem, florentemq. prẹſtaſſet: ſed lignum in hoc noſtro verioris, beatioriſq. Vitę Chriſtum, terreſtris, cęleſtiſq. Paradiſi conditorem veneramur. Terra illius, licet vernantem frugiferarũ arborum copiam explicaret, licet rerum omnium prouentum nullis grauidata ſeminibus ex ſe ſe funderet, licet nil noxium,

xium, nil non ad vſum aliquem propigneret; licet, inquam, elementorum ibi lectiſſimus flos eniteſceret, ac proindè argentei vndarum nitores, gemmantes terrarum colores, clementes aurarum tepores blande ſpirarent, & mutuo in amplexu pomifer floreſceret Autumnus, floriferum pomaſceret ver, aures hilararentur, oculi amęnarentur,& humanus deniq. animus propemodū bearetur; prima tamen fuit, quę Diuinam meruerit execrationem: Præſepis autem terra prima fuit, cui Deus Homo factus fauſta dixerit, quam ſibi primum pro lectulo voluerit, cui primum, quaſi nutrici, oſculum dederit,quam veluti matrem primum ſalutauerit, quam ſibi primum in ſponsā

quodammodo elegerit, primiſq. ſuis dignatus ſit amplexibus. Irruit quidem in Terreſtrem Paradiſum Tartareus ſerpens; verum ad Prę ſepis huius aſpectum non diriſſima tantũ Inferorum monſtra horrore perfuſa contremiſcunt, & fugiunt; ſed cadunt in genua Reges ipſi, humique proſtrati diuiniſſimam ibi teſtantur loci dignitatem; & fulgentiſſima cęli ſidera ad tantum Prę ſepis illius iubar pudet effulgere; Immo ipſimet cęlorum incolę beatitatis ſuę gloriam, inſuperque nouæ admirabilitatis aliquid, quod eatenus deſiderari videbatur in cęlo, in Præſepio latitare cognoſcentes, noſtris hiſce Prę ſepij paleis, quam cęleſtibus illis beatorum animorum triumphis inter fuiſ-

fuiſſe malunt; & non exclamem! O Præſepium ſideribus omnibus illuſtrius! ò TERRAM CAELO ipſo EXCELSIOREM! quo te vnquam nomine, ſi tamen vllum eſſe poteſt maieſtate tua nō indignum, compellabo? anne cum Philoſophis Vitę datricem, & omnium nutricem? anne Sacris cum Litteris Diuinorum pedum ſcabellum? Triumphalem Dei ſedem? Mortalium, Superūque Amorem? Auream veri mannę Vrnam? Redemptionis theſaurum? Salomonicum ferculum? Gedeonicum vellus? parum omninò dixero: Nouum appellabo prodigium, prodigiorumque omnium ſpectaculum: Diuinarum Virtutum omnium Theatrum: lucentiſsimam Sanctitatis

abyſſum:Mirificiſsimum Gratiarum tabernaculum: Pleniſsimum Diuinitatis Sacrarium:Bonorumque omnium menſam immenſam. O carum, ò mirum, ſuaue, ac ſuauiandum Prçſepium, non iam amplius Prçſepium; ſed verum Diuini Amoris aucupium, viuum Diuini ardoris Incendiū, Vnicum deſideriorum omnium Compendium. O caros Prçſepij pannos quauis purpura nobiliores. O caras faſciolas aureis torquibus pretioſiores. O caras ſtipulas ſceptris omnib. optabiliores. Quam ſuauiter ore Vos alloquor, mente Vos aſſequor! Quā iucunde meo in ſinu ſeruarem, meo in corde vos conderem! Quam amanter, quam ardenter, meus vos amor ambit, meum

vos

vos pectus expetit! quam egregie regię Paſtorum inuideo Felicitati, qui Pręſepium, & Pupulum oculis, & oſculis adorarunt. quam perfectas, quam perpetuas Diuini Amoris faces, & flammas in eorum cordibus ab hoc Pupulo ardorum huiuſmodi amantiſſimo Præſepis aſpectu, tactuq. ſuccenſas, quas nulla vnquam aquarum flumina extinxerint, exiſtimandũ eſt? ignem enim Infantulus iſte venit mittere in terrã, & quid vult, niſi vt accendatur?

DIXI.

PHARETRATVS

PHARETRA FACTVS.

SIVE,

DE SEBASTIANI

MARTYRIS

Sagittis

ORATIO.

ROma Terrarum Domina, Gentium Arbitra, Vrbium Princeps, Orbis Imperatrix, Perpetuum Glorię Domiciliũ, Æternumq. Mundi Miraculum, quæ ſpectatores omnes antea in ſui ſemper admirationem rapere con-

conſueuerat, hodie vel belluis ipſis rationis expertibus admirabilis facta, in ſuburbanis Appię campis, tam variam, tamq. multiformiter figuratam protulit animantem, vt alias vna omnes de illa ſuo cuiuſq. generi adſcribenda glorioſum prouocarit in certamen. Aquatiles, quod marini quodammodo echini præſeferre videatur effigiẽ, ſuam omninò dicunt. Terreſtres, quod terreſtrem repręsẽtet hyſtricem, ſuam merito contendunt. Volatiles ipſæ, cum alis eam vndiq. ad volandum circunueſtitam intueantur, auium vnam illicò pronunciant. Interim autem ſcientiſſima ipſa vniuerſorum Parens Natura nouum hoc, ac viuum tanti prodigij ſpectaculum, ſi

vnquam alias, admirabunda cõſpicatur. Quid hic verò vobiſcũ ipſi diuinando effinxiſtis Auditores? iam profectò probe oẽs, opinor, aliquid hic inferioribus hiſce maius latere præſenſiſtis. Nullus hic echinus, nullus hic hyſtrix, nulla hic auis, nulluſq. omnino brutorum hic animaliũ locus eſt altercationi. Cęleſte potius hoc ipſum eſt, cum minimũ in terris, cum Superis maximum videatur habere commercium. Sebaſtianum noſtrum, Deus immortalis, mecum vna omnes nõ echinorum ſpinis hirſutum; ſed ſagittariorum ſpiculis onuſtum, non hyſtricum pilis horridum; ſed hoſtium telis ſaucium, non volucrum pennis; ſed ſagittarum alis vndecumque coopertum agno-

agnoſcite: Et quandoquidem hic mihi tot radijs adeò perſtri-ctus hebeſcit animus, vt argumē-ti ſui nouitate lingua ſimul obſtu-peſcat, & mea propemodum ab-ſorbeatur oratio, oratori quoq. Pipilanti potius, quam peroran-ti ignoſcite. Itanè igitur Seba-ſtiane, Chriſtianę Religionis an-teſignane, heroumq. omnium ad-mirabiliſſime, tam denſa telorū in ſylua, tuo infixa corpori, latui-ſti, vt vel herinaceorum in nu-merum venire potueris? vnde-nam amabo mira hæc ſagittarū nubes? tanta hæc pennarum plu-uia? tam ſæua pænarum procel-la? è Terris ne, an ab Inferis, vel Superis ipſis immiſſam credam? idipſum mihi breuiter iam per-ſcrutari libet Academici, vt re be-

nè perſpecta,rem itidem omnem in vſquequaq. perfectam Sebaſtiani laudem, magnificentiſſimamq. triumphi gloriam ceſſiſſe cognoſcamus. Sed quonam pacto in nobiliſſimum hunc, & vndecũq. infinitis nominibus amabiliſſimum Iuuenem,tam nefaria homines crudelitate deſæuijſſe mihimet ipſe perſuadere potero? Barbarus ille Diocletianus Imperator, inter humani generis laniſtas, ac tortores potius, quam Principes, ac Imperatores numerandus,hoc vnum ſemper habuit in votis, vt Chriſti Eccleſiam, cæli plantam læto gemmarum partu turgentem, ſeſeq. per dumeta hilarius efferentem,tormentorũ ictibus,procelloſiſq. cruoris humani fluctibus obrueret: Seba-

baſtianum omnium is Tyrannorum immaniſſimus primæ cohortis centurionẽ iam factum, ſummi vnius criminis reum, quod ſummi vnius Numinis cultor eſſet, in omnes beneficum, ſoliſq. Dæmonibus inuiſum, hodie publicę deſtinatum lanienę, ſtantẽ, ac nudum, patentem quacunque ſcopum fieri voluit, quem ſagittariorum exercitus, dictum factum, lunatis arcubus, tam multis impeteret ſagittis, tantaq. telorũ grandine configeret, quoaduſq. non hominis; ſed hyſtricis, tortis horribilis ſpiculis, quandam præſeferret imaginem. Eum quippè Sebaſtianũ credidit Imperator, è cuius interitu, vel incolumitate totius indidem Chriſtiani nominis gloria, vel exitiũ

emanaturum videretur. Sed acutioribus ille, longeq. efficacioribus, ignitis, inquam, Diuini telis amoris vulneratum cor habebat, vt propterea citra doloris ſenſum quæuis alia ſagittarum vulnera nihili omninò faceret. Inuictiſſimum noſtrum hunc Heroem vęſana militum rabies, tanquam peſtiferum terrarum monſtrum, ſagittarum turbine, quaſi cælorum fulmine proſtrandum, ſuo ipſius in ſanguine per ſummum dedecus, ac ignominiam miſerrime præfocandũ, perpetuo condere ſilentio moliebantur. Atqui, ò ſapientiſſima æternæ Sapientiæ conſilia, nihil illi tale vnquàm opinantes, dum præcellentiſſimum Sebaſtiani caput innumerabilibus circunquaq. ſagittis

gittis tranſodere nitebantur,præ-
clariſſimum illi Æthyopico mo-
re texuere diadema , quo præ-
ſtantiſſimum ducem inuiti inui-
ctum coronarunt in Regẽ. Qui-
nimmò quot in eum tela conge-
rebant,tot eidem ſtylos commo-
dabant,quibus egregia fortiſſimi
viri facinora , inclytiq. Martyris
encomia aureis æternum litteris
conſecrata toto terrarum orbe
magnificentiſſimè celebrarentur.
Quid plura? Horatium illum Co-
clitem Romanorum nobiliſſimũ,
omniũ ore decantatum , in ſum-
ma Reipublicæ calamitate, eui-
dentiſſimoq. populi Romani pe-
riculo, vrgente grauiſſimo hoſte,
cæteris fugam capeſcentibus, ip-
ſum vnum pro ponte ſtantem
Hetruſcorum exercitui pro ſalu-

te publica bellum indixiſſe, prouocaſſe, excepiſſe, illorumq. omnium tela, & impetum aliquantiſper, dum à tergo reſciſſo ponte armatus in Tyberim exiliret, & ad ſuos ſaluis armis natabundus reuerteretur, ſumma cum hoſtium, ciuiumq. admiratione ſuſtinuiſſe, nimium quantum mirari nos quoq. ſolebamus, Auditores: ſed quid hoc erit vnquam ad eximiam illam Sebaſtiani noſtri admirabilitatem, qui vnus omnium vice, Chriſtifidelium verè Primipilus, infixo terræ pilo arctiſſimè inhærens, nudus, ac inermis, aduerſo pectore, aperto Marte, irruentia ſagittariorũ agmina, innumeraq. ſagittarum vulnera, infatigabili pugna, inauditoque patientiæ, ac fortitudinis

ſpe-

ſpectaculo, dolorum plenus, & telorum, atq. ex PHARETRATO PHARETRA iam FACTVS, tandiu pro Chriſto pertulit, & pugnauit, vt hoſtes ipſe ſuos conſtantiſſimè decertando laſſarit; tandemq. aliquando labore, locoq. cedere coactos, è pugna palmam, & cum victoria vitã referens, expugnarit. perpetuò enim Sebaſtianus inter tot acceptorum vulnerum acerbitates immobilis, Diuini conſcientia facinoris erectus, cum paulatim cum ſanguine vita defluere videretur, deliciarum contemptor, pænarum irriſor, ſui victor, & hoſtium, è vulneribus incolumitatem, è certamine triumphum feliciſſimè reportauit. O longe pulcherrimum, rariſſimum, Diuinumque

Se-

Sebaſtiani factum, & triumphũ, Terræ, Cæliq. plauſu, & premio digniſſimum. Acutiores promite ſagittas, diriora parate ſpicula immaniſſimis immaniores, quotquot eſtis omnes, Tyrannorum, tirannidiſque milites, ac miniſtri, ne veſtræ ſcientia crudelitatis, veſtra feritatis artificia victa videãtur; noſter enim Diuinus hic elephas, quantalibet ſagittarum veſtrarum multitudine oppreſſus, inuictus omnia vincit, & quamquam mota cute, & citra ſanguinem, hærentia non diſcutit tela; illa tamen hilari vultu, tutiſq. viſceribus, mirum in modũ gloriabundus aſpernatur. Quin etiam, cum ex venenatorum vulnerum ſenſu non ab ipſis dumtaxat hominibus immiſſum; ſed

emiſ-

emiſſum ſimul à Cacodęmonum turba turbinem nouerit Sebaſtianus, tæterrima ipſa omnia ſuas in hunc vnum, quantas vnquam libuerit, technarum ſummas inſtruant, ſumma quæq. experiantur, vires omnes intendant, virus omne profundant, cunctaq. ſuo vertant, & peruertant arbitratu; irrita cadent omnia, & vana fient vniuerſa. cæleſtis hic heros, in terris tanquam ſagitta electa, à Deo poſitus, à nullis alijs ſuperabitur ſagittis; ſed illas omnes, pretioſiſſima ſuæ trophæa victoriæ, ſecum amantiſſime retinens, hoſtilium ſe armorũ ſpolijs onuſtum, ad immortalem ſummi Numinis, ſuiq. nominis gloriam, terrarum, cælorumq. applaudenti ſiſtet obtutui. Tanti huius ve-

ræ

ræ Fidei Ducis, ac Præconis diſertiſſimũ os promouendis ad ſalutem animis potentiſſimum peſſimi illi, ac perennes malorum omnium principes, ac parentes, infenſiſſimi humani generis inimici, ſcelera ſemper anhelantes, depereuntiſq. regni ſui dolore furentes, quantum ſuis licuit artibus, ſagittis affatim occludere conabantur: verum è contrario tot eloquentiſſimo Martyri facundiſſima ora recluſere, quot illius in corpore feliciſſima vulnera aperuere. Vt propterea nihil vltra mirandum ſit, Auditores, cur ſua in Sebaſtianum tela tam longe diſtantes vibrarint ſagittarij, vt vel innumerabilibus ſagittarũ ictibus impetitus haud quaquam occubuerit: ab inuidentiſ-

ſimis

ſimis enim Inferorum magiſtris illud eos edoctos crediderim, ne Oratori ardentiſſimo propiores facti, auditis Sebaſtiani vocibus, è ſumma Idololatrię caligine, ac tenebris in apertiſſimam Religionis noſtræ lucem eruti, rapudiatis falſarum opinionum commentis, è corruptis indidem moribus ad emendatiorem vitam, nec non ad eminentiſſimam ipſam Martyrij dignitatem, ductore, ac doctore Sebaſtiano, traducerentur. O quam bene, ò quam Diuine veſtras omnes retexuit fraudes vaferrima inferorum monſtra ſapientiſſimus athleta! cum mortis æternæ plagas Martyri ad exitium imponere voluiſtis, tum vitæ æternæ portas victori ad triumphum reſeraſtis: quò magis illũ

ab Imperatore Chriſto diuellere contendiſtis, eò illi ſimiliorem, coniunctioremq. euaſiſſe conſpexiſtis: adeò vt Sebaſtianus, quaſi ab Imperatore ſelectus, & Imperatoris in locum ſuffectus, à Chriſto, & Chriſti ad exemplar, iam in hoc mundo in Signum ſe, cui contradicatur, poſitum fuiſſe iure, ac merito glorietur. Sed quid adhuc Diocletiani, Dæmonumvè milites, miniſtroſvè diutius inſector, cum ſuas aliundè ſagittas Sebaſtianus, ſublatis in Superos oculis, lætabundus excipere videatur? nec me fefellit animus, Auditores. Sereno è cęlo melliflua hæc ſpicula feliciſſimo Sebaſtiani pectori peramanter impluunt: nec, vt alia, doloribus implent vulneratos; ſed ne-

nectareo Diuinæ gratiæ dulcore
rorãtia indicibili eos replent ſua-
uitate: non dolentis, ſed riden-
tis: non lædentis,ſed ludentis hę
Dei ſagittæ ſunt. Sebaſtianum
Deus ſagittarũ huiuſmodi aman-
tiſſimum nouerat, quem idcircò,
vt voti compotem faciat, Phare-
tram facit, & infarcit. Quinim-
mò, ſi dici liceat, ardentiſſime,
mihi credite, Deus ipſe, & Heros
iſte, vtriq. alterius peramantes,
de mutua quodammodo amoris
ſui vicisſitudine, aperta pugna,
luctabantur. Sebaſtianus, inten-
to oculorum arcu, ex æſtuantis
pharetra cordis candentisſima
amoris ſpicula, verborum etiam
atteſtante ſibilo, recta vibrabat
in Deum: Deus ipſe repercutien-
tia charitatis ſuæ tela amantis in
vi-

viſcera, rubentibus in corpore plagis, infigebat: centies ferit ille Amorem: millies ferit iſte amantem: donec vterq. victor, vterq. victus, alter alterum inuicem de ſeſe perfectiſsimum faſſus eſt Triumphatorem. O admirabiliſsimam, beatiſsimamq. luctationem, ac pugnam! in qua contorta Dei in Sebaſtianum iacula alarum erant auxilia; illata corpori vulnera aperta animæ oſtia, quæ cæleſtem ciuem, vndecũq. vellet, rapidiſsimo volatu in feliciſsimam felicitatis vniuerſæ Patriam inuitabant. O Sanctiſsimum Heroèm, ò glorioſiſsimum Anteſignanum, ò Beatiſsimum triumphatorem, nõ nomine tantum; ſed re ipſa verius Auguſtiſsimum. Iactarit antea

ſuum

ſuum Roma triumphum hodierna luce à Seruio Fuluio Petino Nobiliore reportarum de Pœnis, nobilius hodie tuis de pænis, ac pennis triumphaſti Sebaſtiane, qui alligatus ad palum, quam antea ſoluſtus in campo, mirabilius dimicaſti. Sagittarum tuarum, candidiſsime cæli candidate, acutiſsimis exſtimulata calcaribus, penniſque tuis fama facta velocior, tam gloriosè mundi orbem peruolauit vniuerſum, vt tibi perpetuo tot futuri ſint tumuli, quot oræ terrarum: tot laudes, quot ora gentium. O ſumme amabiles, ſummeq. deſiderabiles Sebaſtiani ſagittas, veros, vt verius dicam, veri diei, Deique radios, quibus dum quaquauerſum cingitur, & circumueſtitur,

tur, nouum in Empyrio Sidus, nouus in æthere Sol, nouus in terris Apollo, & nouus vbique quodammodo Deus apparuit.

DIXI.

LAV-

Google

LAVRVS

IN IGNE VIRENTIOR.

SIVE.

DE S. LAVRENTII MARTYRIO

ORATIO.

ELementorũ validiſsimum, & viuidiſsimum, alta deprimẽs, & depreſſa attollens; modo ſegregata congregãs, modo congregata ſegregans; quicquid illi accedit accendens, quicquid illi adhęret adurens, & proxima quę-

que conſumens; vt incorruptionis expers; ita immortalitatis expetens ; nulli ſe ſe, ſibiq. ſubijciens vniuerſa; obuia ſibi omnia vel feriens, vel fugans, & arma ipſa exarmans; ſuo ſolius indulgens genio nec teneri, nec tangi, nec vinci potens, nec vinciri, cadere, quam cedere, & mori malens, quam mutari; ſolutis habenis, frẹnis effractis, & libera lege, in Supera, in hæc infera, & in inferna quoq. mirum exercens imperium, quod olim vel in ipſo Terreſtris aditu Paradiſi, quò protoplaſtos Parentes ab illius arceret ingreſſu, ſeſe formidabilem præſtabat; Hodie benigniore vultu, ad cæleſtis aulæ fores, ferream craticulā floridum molliuit in lectulum, prunas mutauit

uit in plumas, flammas ſubſtrauit in lintea, ardoris impetum vertit in auræ ventulum, ibique reclinatum hominem, non ignis atrocitate ſuperatum, ſed loci amænitate ſoporatum, reſerata protinus ſupremæ Beatitudinis Regia, in Auguſtiſsimas Diuinitatis delicias feliciſsime inuexit, Academici. Heliã vobis hic innuiſſe forſitan videbor, cũ igneis equis, igneoque in curru triũphãtiũ more ſublatus eſt in Cœlum: ſed alium hodieglorioſiorem Heliam, aliam enimuero admirabiliorẽ triumphi pompam, aliũ, inquam, pretioſiorem currum, ſplendidioreſque flammas intuebimini. Laurentium illum Martyrum nobiliſsimũ, ferrea diſtentum crate, ardentibus ſuper-

 po-

poſitum prunis, viuis aſſatum in flammis; ſed quaſi veris geſtientem in roſis, ibique veluti in purpura quieſcentem, dulciſſimo ſuauitatis æternæ ſomno leniſſime correptum, veſtro mentis intuitu, cogitationeque ſpectandũ proponam; ſimulque breuiter exponam, Cur igne torreatur innocens, quo Deus olim vſus eſt ad vindicanda ſcelerum immaniſſima; Cur ignita, quaſi torus, aureus, Laurentio crates inſternatur; Cur Heros ipſe tanto in igne tantas colligat animi, corporiſque vires, vt inibi non reſpiret modo; ſed libere loquatur, incredibilique ſuauitate, ac voluptate perfuſus, dum vinctus in craticula torretur; ab ardore tamẽ inuictus nequaquam terreatur:

tur: ſed qui ego nouitatis huius, admirabilemque prodigij formã explicabo? Tu mihi vires Victor adde, facundiamque facundiſſime Laurenti, qui hodierna duce vere vtique tam ardens Orator es, vt vel frigidiſſimos incendere poſſis. Deum, Auditores, nõ ſemel alias, externo vt ſigno ſuũ in ſacrificia teſtaretur amorem, igne immiſſo, Hoſtiam illico incendere, totamque conſumere ſolitum accepimus: Dicamne igitur Laurentium quoque vere opimam, pretioſſimamq. victimam à Deo pariter in igne ſuſceptã, vt eam ſibi in primis gratam, atque primis in delicijs habitam demonſtraret? Idcirco ne Laurentius ipſe ardentibus Purpuraſcere voluit in prunis quod,

cum purpuratum antea ſui effuſione ſanguinis Diuinum Verbũ ſe nobis præbuiſſet in Cruce, concolor illi regius adoleſcens apparere voluerit? Nunquid à Diuino ipſo amore velociſſime ad nos deſcendere cupiente, ac proinde rapidiſſimis in flammis, tanquam ſuper fulminũ alas, depluente, didicerat hic ipſe volantes ſupergreſſus flammas ignis impetu ad Cœlum recta quam ocyſſime conuolare? Quid ſi factum id forte fuit à Dño, vt Adamantinam Laurentij fidem, Aureamque charitatem, veras ambas, perfectiſſime igne ipſo probatas, ac purgatas dignoſceremus? Quid in hac igitur tam admiranda Amoris, & Ardoris ſcena admirabilius vel ratione, vel

oratione ſuſpiciã ? Mirerne candentiſſimam Laurentij integritatem candentiſſimis in prunis mire rubuiſſe ? An potius noui rubi myſterium ardentis quidem, nequaquam vero deficientis inſtauratum gratulabor ? Ego quidẽ affirmate mihi videor dicere poſſe : in hoc viuaciſſimo excelſi Martyris rogo mirificiſſimam illam diuinitus affulgentem repręſentatam eſſe Hebręorum columnam, quæ ad præmonſtrandum, dirigendumque ijs iter in deſerto nocte quidem micantiſſime prælucebat, interdiu vero, cum opus fuerat, eoſdem ipſos inumbrabat. Rogales enim faces iſtas propterea Deum ſelectioribus amiciſſimorum ſuorum aliquibus arbitror prætuliſſe, vt pa-

tefacto per illas ad promiſſi regni diuitias aditu, cum Principes illi, tum plurimi ſubinde primos imitati (Decus hominum ęterno Numini acceptiſſimum) triumphales haſce pyras & cuperent ardentiſſime, & conſcenderent animoſiſſime, vt lętabundi, & ludibundi flammas animis, animoſque flammis adiungentes, cum flammis ipſis ad exoptatiſſimam patriam bonis omnibus affluentem, tuto tandem perducerentur. Verum cur hic plura congerendo infinitas omnes latitantes hoc in igne cauſas, & myſteria videor indagare? Non abs re rem addam, quę rerum agmen claudat. Luculentiſſimo quondã, & creberrimo cum igne Deus ſuper Montem Syna videndum ſe dedit

dit Hebręis, quò ſe legis, quę ibi ferebatur, Conditorem eſſe, Auctoremque comprobaret, quò ſuam inibi præſentiam teſtaretur apertiſsimam, promulgatæque Legis memoriam poſteris redderet ſempiternam. Aſſeueranter igitur inferamus hic etiã, quò Deus inuicte huius fortitudinis auctor haberetur ab omnibus, quò illuſtriorem faceret Laurentij mortem, quò diuturnior, ac diuinior tanti foret fama martyrij, quò tantũ facinus glorioſioribus celebraretur honoribus, quò tam nobilis triumphus æternis ageretur encomijs, Laurentium ipſum pariter, Superũ in Regiam, rutilantes inter flammas, eleuatum. At ſicuti tres illos in Babylonica fornace illęſos iuuenes,

ita ſanctiſsimum hunc adoleſcentem noſtrum ab impio tyranni incendio inuiolatum, intactumq. cur non ſeruauit ignis? Anne, vt non ſolùm vehementiſsimo voluntatis deſiderio mortem appetendo, aut etiam certiſsime ſe morti obijciendo; ſed mortem ipſam quoque vere perpetiendo, integrã, viremtemque Laurentius martiryrij Lauream conſequeretur? Idcone, vt liberam hinc hominum voluntatem vel ardentiſsimis ipſis flammarum ardoribus potentiorem eſſe argueremus? O vere immenſam Dei Omnipotentis ſapientiam. O ſummam, & inenarrabilem Diuinorum operum admirabilitatem. Decuit profecto, decuit, Auditores, Humanum hunc in-

ter-

terris Cæleſtium Seraphim coryphęum, qui, quò moriens propius accedebat ad Deũ, eò grauius Diuini amoris æſtuabat in flammis, non animo tantum ſupernis illis ſuauiter amando incendijs inflammari; ſed corpore itidem noſtratibus hiſce, grauiter patiẽdo, ardoribus igneſcere. Quid enim expreſsius Regię Maieſtatis imaginem, quam ignis, pręſe fert, qui propterea Romanis, & Conſtantinopolitanis Imperatoribus olim pręferebatur? Quid eorum eſt, quæ intra Lunæ ambitum continentur, in quo vel pleniorem, vel illuſtriorem cæleſtium, Diuinarumq. rerum ſimilitudinem, quã in igne, cernere liceat? Quandoquidem ex diſertiſsimo Arępagita, Cy-

rillo, ac Origene patere omnibus poteſt, ſummam illam, nulliſque obnoxiam figuris ſubſtantiam; varijs, miriſque in igne modis ita deſcribi, vt diuinarum ignis ipſe proprietatum (ſi dici liceat) viſibilibus in rebus plurimas ſeruet imagines. Atamen cur non ligneã ſuper pyram concremãdus extollitur ardẽtiũ hic Seraphim ardentiſsimus; ſed ferreis ſuper affixus cratibus tanto cum doloris ſenſu ſenſim aſſatur? numquid, vt tardioris horribilitas cruciatus voluntariam, diuturnamque Laurentij perpeſsionem cunctatione corrumperet? num, vt ſuplicium eõ foret immanius, quò diriſsimæ necis exitus protraheretur in longius? propterea ne, vt innocentiſsimus

Ado-

Adoleſcens iure optimo Paſchalis Agni, qui quidem aſſandus erat, veriſsimam præſeferret effigiem? Ob id ne, vt animum illum ſuum, qui mirum in modum aſpera quæque, & odioſa pro Chriſti cultu ſemper appetierat, ex ſuomet ipſius aſſato corpore oblectaret abundantius? eanè de cauſa, vt ſapidiores, lautioreſque tyranno pararentur epulæ, cuius immaniſsimæ voracitati tã ſolemnis mactabatur hoſtia? antiquanè altaris Thymiamatis aurea illa fuit præſignificanda craticula, in qua tam iucunda ex hoc Lauro ſuauitas inceditur; vt non terræ modo; ſed Cœlum ipſum, inſolita prorſus dulcedine repleantur? Inde ne, vt ſe ferro ipſo fortiorem indicaret, quippe

pe qui, licet ignitus, nec potentiſsimis vllis tyrãnicę ſeuitię maleis tuſus vinceretur, nec tantillum vnquam propoſitas molliretur ad delicias? Ideo Laurẽtius, Auditores, terrifica cubare debuit in crate, vt ardorẽ verſũ in ſoporẽ,& necis atrocitatem quietis vice, ſomnique loco ab ipſo libentiſsime acceptam intelligeremus. Craticulam Valerianus, vaferrimus innocentum venator, & prædator ſceleſtiſsimus, doloſum veluti rete nobili huic tetenderat pyrauſtæ, quò ſuis illam irretiret inuentis; ſed præda ipſa prædatore ſapientior, ferreum ſupergreſſa rete, dum arcte teneri credebatur, ingenioſiſsime inhiantem deluſit inſidiatorem: nec illa enim ab igne, quem maxi-

ximopere adamabat, ſeparari; nec tamen ideo ſceleratis debuit tyranni technis mancipari. O Terrarum fœliciſſimus Chriſtianus Orbis, ſi multos iterum nouos tibi proferas Laurentios! quã facile inſidas omnes hoſtiũ fraudes indeceptus effugeres! Sed animaduertite amabo Auditores, & mecum ipſi adoleſcentis fortiſſimi ſolertiſſimum patiendi deſiderium admiramini, qui eò ſibi acerbiores pro Chriſto pænas auidiſſime exoptabat, quò plures veluti intertextas in craticula Cruces amãtiſſime complectebatur: & quò furentius igneſcebat, eò iucundius exultabat; immò quò ſupplicium longiùs fiebat, eò magnificentior ab eodem triumphus habebatur. Con-
cre-

crepabat, vt Laurus inflammatis aduſta rogis, Laurentius, Auditores; ſed imperterritus lentos identidem prouocabat ardores, membraque inſertis in Crate vectibus adaptabat, quò ſerpentibus vndique totus ambureretur in flammis. Reuinctis à tergo manibus, vſtulantem ſuper chalybem reuoluebatur inſons; ſed inter effictas incendij fauillas ludere potius, quam lædi, credidiſſes. Ligna perpetuo ſufficiebāt miniſtri; ſed lætitiæ illa verius, quam doloris, alimenta dixiſſes. Ignem alij igne ipſo ferociores immane quantum follibus excitare conabantur; ſed ille, quaſi ſerena refrigeratus aura, mirum quantum dulciter hilareſcebat. Quin etiam crudeliores alij ſemi-

uiua quoque Laurentij membra oblongis verſabant forcipibus; ſed eam ſemper totius ille corporis poſitionem ſortitus putabatur, quæ beatiſſimam illico iucunditatem peperiſſe videretur. Incaſſum conaris portentoſe Mulciber Valeriane: Inuictum hunc Martyrem quò magis aſſabis, eò minus laſſabis. Nequicquam incaleſcitis tortores infandi, Aetnei monoculi, peſſimi Cyclopes, quouis Bronte, Sterope, aut Pyracmone nequiores, vanis ictibus cœleſtem hunc flagellatis Adamantem: veſtris non cedit incudibus, veſtram deſpicit officinam. Auertère hic oculos, opinor, feſsi tandem ſatellites ipſi, & Cœlum quoq. Carnificum

im-

impietate perſpecta, mirabiliter indoluit, ac inhorruit, Auditores: quis enim hominum vnquã tantam in hominem hominis barbariem aut vidit, aut ſiccis oculis videre poſſit? Solus ille omnis memoriæ fortiſſimus Martyr, nec videndo, nec ferendo fatigatus, dira quæque excelſo ſuperabat animo, molliſſimoque quaſi recreatus in prato, ad amęniſſimũ pręter labentis riui ſuſurrum, implacabilem ferocientis tyranni rabiem deridens, politiſſimo ioco latus alterum iam bene coctum exhibens Carnifici, ſuas ad epulas ſic per humaniter inuitabat, HOC IAM OPIPARE ASSATVM EST, DVM IN ALTERVM CVBO, OPPORTVNE CONVIVARE. O inauditam

patientis æquanimitatem. O Diuinam penitus tranquilliſſimæ mentis in ſemiuſtulato corpore Vrbanitatem. Nullumne Tibi, inuictiſſime Laurenti, doloris ſenſum, aut ignis vmbram potius quam ignem illum extitiſſe putem? Nequaquam prorſus, Auditores: ſed abundantiſſime Diuini Numinis afflatus Auſtro, vehementiſſima omnia terrę incendia facile perpetiebatur. Immenſa illa gaudentis animi beatitudo omnē illi corporis quodammodo ſēſum abripuerat. Ridebat ergo, dū ardebat, quia morti proximus inchoata charioris vitæ felicitate fruebatur. Tanto efferueſcebat in gaudio, quia Chriſtum amantibus tyrannica tormenta Diuina fiunt aromata. Geſtiebat, quia

Sixtum ſuum, Maximum Chriſtianę Religionis Antiſtitem, qui triduo ante Martyrij gloriam capitis obtruncatione ſuſceperat, & ad vitam pręuolarat æternam, ſimillimus Imperatori Miles, Patriſque amantiſſimus Filius, gratulabundus inſequebetur. Blande iocabatur in morte, vt voluntarium ſui corporis ſacrificium vltro ſe Deo expetijſſe, in ipſo etiam vitę certamine, aperta vultus, verborumque placiditate profiteretur. Quin aurea illa (verius dixero) propterea exultabat in pompa, quia validiſsimo Diuini Spiritus ardore iam toſtus, nihil his externis adurebatur incendijs. Triumphabat, inquam, Laurentius, & quidem glorioſiore animi ſignificatione, quam ſi gem-

gemmis, purpuraque fulgens, regia vectus quadriga, Capitolium Laureatus aſcendiſſet; quia non hoſtes modo; ſed iam ſeipſum quoque, magnificentiſsime vicerat, vt rerum omnino omnium perfectiſsimus fieret triumphator. Quocirca, peracto iam ſolito illo ex obtenta victoria ſacrificio, ſubinde Lauré ius, cælitibus ipſis ad ſpectandum vndique comparatis, feſtos inter plauſus, & acclamationes, ad æternum, apparatiſſimumque perpetuo triumphantium epulum proceſsit. Io triumphe, Io triumphe Tibi, dum aſcendis, Terra, Cælumquè cantet præclariſsime triumphatorum floſcule: incolumi victoriam, lætum in patriam reditum, ſemperque duraturum triumphum gra-

gratulentur. Ecce igitur vobis, Auditores, quid tyrannicus ille portenderet, & ſponderet ignis; quid ferreum illud pararet, & pareret in prunis ſtratum; quid ſemiuſtæ victimæ tanta illa præmoneret, & præmonſtraret hilaritas. Hæc, inquam, plaudentis populi præcinebat acclamationes; victori ſellam præparabat Crates; Purpuram pingebat ignis ad Triumphum. Felices flammę, quibus datum Laurentij caput coronare, pectus amplexari, membra lambere, & pedes ipſos ardentiſſime exoſculari potuiſſe! Fortunata Crates, in qua tam nouus habitus Triumphus! Beata incendia, quæ triumphatorem in Cœlum tam mire purpuratum introdu-
xe-

xerunt! Quanto tamen beatior, ac optabilior eſt, Auditores, externo iſto terreſtri cœleſtis ille intimus, purus ignis, Diuinus ardor, qui Laurentij corpus, & cor ipſum inflammauit? Statim ac hominum pectora amabiliter is incendit, penetralia omnia clariſſima veræ ſapientiæ luce purgat, ac illuminat, timoris gelu cum amoris æſtu commutat, cor ipſum calore ſuo ſic emollit, vt facile ad ardua quæque Diuinis afflatibus informetur; denique mortalium animos tantopere leues efficit, dirigitque furſum, vt poſitis perituris rebus omnibus, penas deſiderijs, roburque pennis addat, quibus extemplo in ſupremas quoque ſuperum Sedes, nobiliſſimos adepti triumphos

phos attolluntur. Non hunc, qui exceperit è Laurentij Corde Cordis in ſinum, Diuinum ardorem propellere ſtudebit à pectore; ſed vſque ad delicias ſuauiter ardebit, & libenter vtique cinereſcet; vt eiuſdem ignis fauillas fouere ſub cinere quam dulciſſime, & quam diutiſſime poſsit.

DIXI.

THEATRALIVM
PERSONARVM
SPECTABILISSIMA.
SIVE.

De Oratore Microcoſmicæ fabulæ Actore omnium plauſibiliſſimo

ORATIO.

Ad Reuerendiſs. Patrem

CONSALVVM
GRITIVM
ÆSINATEM, ORD. PRÆD.
Sac. Th. Magiſtrum,
GENERALEM
INQVISITOREM
Placentiæ, &c.

Google

Reuerendiſs. Pater.

THeatralium Perſonarũ ſpectabiliſſima, ex Spectatoribus Spectatiſſimum appetens in Patronũ, Te recta petit, & recte. Corporis veſtigia in ſole ſua lambit vmbra, & peramanter inſequitur, ſic vmbratilis hæc delineatio potius, quã deſcriptio, in Lucem prodiens, Te viuum, ac verũ ſui ipſius Archetypon agnoſcens, Tuos ſtatim & ambit aſpectus, & volat in amplexus. Quis autem ſpectatiſſimam Tuam illam vel morum humaniſſimorum venam, vel virtutum præclariſſimarum copiam non agnoſcat, & admiretur? Roma ipſa, dum Generalis Commiſſarij Socius Sociales tam eximij muneris curas præſtãtiſſime curaſti, idipſum adeo perſpexit,

 & ſu-

& ſuſpexit, vt Te ad ſumma huiuſmodi Tribunalia egregie regenda, vt facis, plauſibliiter euexerit. Placentiæ vero noſtræ ob id ipſum adeo places, vt bonorum omnium vota bona Tibi omnia voueant, & plaudant. Ego ipſe deniq. vt omnium minimus, ita omnium maxime hoc ipſum experior, quem ſemper tã humaniter excipis, tam amabiliter alloqueris, tam admirabiliter gratificaris, vt etiam me nuperrime re ipſa quidem immeritiſſimum; animo tamen haud ingratiſſimum S. Inquiſitionis Conſultorẽ conſtitueris. Quare, quò in dies ad eminentiora, vt promereris, promoueri valeas, quam diutiſſime viue, & quam feliciſſime vale. Plac. Id. Ian. MDCL.

Deuinctiſſ. Ser.
Petrus Franciſcus Paſſerinus.

ORA-

ORATIO.

GLorioſiſſimus ille Gentiũ Princeps, Cæſarum feliciſſimus, & Auguſtorũ primus, Octauius Imperator, morti proximus, admiſſos amicos percontatus, Ecquid illis vitæ mimum commode tranſegiſſe videretur, Græcũ ſubinde carmen peractis comœdijs accini ſolitũ adiecit, vt quem in ſcenam prodeuntem, & Imperatoris perſonam perbene gerentem, exultanter exceperant,

& mira cum iucunditate ſpectarant, theatrali quoque riſu, ac plauſu proſequerentur abeuntē, ſuſceptamq. Perſonam, exacta Fabula, feliciter depoſitam acclamarent. Prudenter enimuero, ac patenter idipſum is oſtendit, quod Diuina ipſa nobis ſanctiſſimorum Vatum, ac Patrum Oracula prodidère. Totā hanc ſcilicet rerum omnium & Vniuerſitatem, & Immenſitatem, quam Mundi nomine dignamur, formoſiſſimum quoddam Theatrū eſſe, quod pro immobili ſcena firmiſſimam habet terræ molem; præteruolantem humanarum rerum conditionem pro fabula; pro Actoribus Mortales omnes; pro Epiſcenio Cælum; pro columnis montes; pro portis ortū,

& in-

& interitum; pro feneſtris ſolem, ac lunam; pro facibus ſtellas; pro periſtromatis herbas, & arbores; cantatrices aues pro choraulis, & pro chorago Deum. At potenter hinc quoq. meo iugiter in animo, ſiue ſciendi cupiditas, ſiue curioſitas appelletur, certe mirus amor, & ardor exortus adeo adoleuit, vt me repente ad inquirendum impulerit, quęnam Perſonarum omnium, cum in ampliſſima, pulcherrimaq. orbis huius ſcena tot, ac tam multiplices ſuſpiciantur Actores, noſq. ipſi ad vnum omnes hiſtrionalem in ea partem aliquam ſuſtinere debeamus, ſpectatu digniſſima videretur. Num egregie e perſonarum grege ſpectabiliſſimam ſelegerim, ſtatim atq. eam vobis, ſi

minus deſcripſero, at certe ab vniuerſa cæterarum omnium turba vtcumq. diſtinxero, vna omnes vobiſcum ipſi ſapientiſſime ſtatuetis, Academici. Sed quid amabo noui, magniq. ſpectaculi tanta, tam varia, tam mirabili in ſcena vel indicandum, vel forſan etiam inducendum ab hodierno Oratore, vel verius Actore, ſperatis Auditores? quid ſpectatu ſpecioſiſſimũ ſpectatores expectatis? expectant, opinor, proceriores aliqui vnum hic quempiã Geryonis de genere, aut Enceladi de progenie, ſeu centum geminũ Briareum alterum, vel ex Herculis columnis alterã, cui nõ iniuria inſcribi poſſit, Non plus vltra. quaſi vero Perſonarũ ſpectabilitas e prælõga corporis proceri-

rita-

ritate pendeat,& ſpectetur. Sperāt potentiores alij, qui Proceres maluut, quā proceriores, appellari, Superbiſſimum hic Dynaſten, quaſi ex aſtris lapſum, ne dum è cæteris lectum, & ex ijs vnum, totum ex diuitijs, ac delicijs conflatum, nectare, ac ambroſia abunde ſaginatū, & ſpectatu, & adoratu digniſſimum, perſonarū omnium primas habiturum; ſed, vt ipſi præ ſe contemnunt vniuerſos, ita à ſpectatoribus omnibus pro cultu contemptum reportant. annuunt bellatores alij, non proceriorum, nec procerum vllum; ſed, vt armis præſtantem, Perſonarum Principem conſtituam; ferreum nimirum, & ferocē Martis nepotem; qui ſupercilijs fulminet, oculis fulguret, nutu ter-

territet, ore exſorbeat, & ſpiritu difflet exercitus. Verũ Thraſones iſti, vt gloriarum ſe plenos arbitrantur, ita nullam à ſpectatoribus gloriam vlterius adipiſcuntur. Quid plura? feſtiuiores alij facetiſſimum hic, lepidiſſimumq. Paraſitum deſiderant. Formoſiores ipſi formoſulum hic Narciſſulum, ab imis vnguiculis ad verticem vſque pulchellum, perſonarum omnium viſu, ſpectatuque pulcherrimam putant. Immo mulieres quoq. ex illarum numero ſine numero vnã aliquã, quaſi perſonarum Reginam, ſpectatorum omnium plauſu, & pręmio donandam ſibi ipſæ perſuadent, cuius in facie Veneres, in fronte Serenitas, in oculis Amænitas, in genulis Cupidines, in

la-

labellis Gratiæ, in ore Sirenulæ colludant, quæque identidem ſpectet, an ipſa ſpectetur. Atqui, vt corpus animo, virtutiq. vitia longo cedunt interſtitio, ita pręſtantes animi dotibus perſonæ omnem omnium corporum conditionem infinitis propemodum partibus antecellunt. Quamobrem iam ex vniuerſis Orbis Academijs venientem videre mihi videor ingentem omnino gentem, quibus quot capita, tot ſententiæ, quiq. ſuo cuiuſq. genio, ac ingenio magis arridentem Diſciplinam tam ample amplificent, & tam alte extollant, vt ipſamet humanarum, Diuinarumq. rerum Encyclopædia eam vnam pręcæteris ſuo in ſinu carius, ſuis in delicijs dulcius, ſuiſq. in theſau-

ſauris pretioſius amplexari videatur. Hinc Theologi ſecū ipſi Theologum, Iuriſperitnm Iuriſperiti, Philophi Philoſophum, & Grammatici etiam ipſi Grammaticum Perſonarum omnium, omnium votis, Primatu, Principatuq. decorandum non inſperantes augurantur. Enimuero vrbium in ſcenis non minimam, quinimmo nimiam fortaſſe, eæ omnes, quas prius innuimus, actorum perſonę ſpectatorum ſibi audientiā cōciliant, & admirationem: Academiarum vero in ſcholis eæ ipſę, quas mox appellauimus, Doctorum Virorum Perſonæ magnam ſibi ſingulæ laudem, mirum ſibi ſingulæ plauſum vbiq. gentium promerentur; nihil horum hodie inficior, Auditores. Sed, proh

De-

Deum immortalem ! vnam harũ omnium longe pulcherrimam, longe mirificentiſſimam, longe ſpectabiliſſimã ſeligemus. Vnam ipſam Eloquentis hominis Perſonam, Vnum ipſum Oratorem Actorem, & Perſonam eam eſſe præ cæteris apertiſſime pronuncio, cuius aſpectus ſtatim ac ſpectatorum venit in conſpectum, omniũ in ſe oculos, atq. animos mirabiliter conuertit, ſummum rapit in ſtuporem, inſatiabilique voluptate auditores cõplet vniuerſos. Hæc inter omnes Humanæ Fabulæ Perſonas illa eſt, quæ Gigantæa quauis ſtatura, ſi non corporis; at ſaltem, quod nobilius eſt, ingenij dotibus excelſior, caput aſtris inſerit: quæ regia quaq. potentia maior, vel

ho-

hominũ mentibus imperat: quæ triumphantibus omnibus glorioſior, inanima quoq. ſibi facit audientia: quæ Paraſitorum omnium calliditate ſolertior, figularibus ipſis rotis verſutior eſt: quę Narciſſulo quolibet elegantior, & Venere venuſtior, virtutum ipſarũ amores vndiq. & odores, quaſi faces, adeo ex orationis ipſius formoſitate iaculatur, vt, quandocumq. velit, ab vno illius ore pullulare roſas, fluere balſama, naſci Seplaſiam dicas: quę tandem aliarum vnicuiq. Perſonarum eò dignius antefertur, quò auguſtiſſimum Orbis Theatrum anguſtiſſima Vrbis alicuius ſcena ſpacioſius quaquauerſum dilatatur. Nec longam hic illam aut artium, Doctrinarumq. omniũ

in-

inter ſe contentionem, aut ſingularum cum Eloquentia comparationem, quas videns, ac volens tacite prætereo, in proſcenium aliquis a me deducendas, decidendaſq. putet, Auditores: num Militari negotio Muſarũ otium, curia caſtris, gladio lex; vel contra cedant arma togę, tela legibus, ſapientiæ fortitudo: num Legi Ciuili, meritorum lanci, & præmiorum, Medendi Lex vitæ, vel valetudinis arbitra præferatur: num Lex Canonica duplici & claue, & gladio, tripliciq. Tiara præfulgens Theologiam Diuinarum literarum Ianitricem, & Humanarum omnium Imperatricem pręcedat: num deniq. diſciplinarum quæpiam ſit, quæ Eloquentiam de principatus huius

ade-

adeptione ſingulare vocet in certamen: illud enim in vniuerſum affirmo, Eloquentem, vt iris colores omnes, ita vnum omnia cęteros diffuſa per Actores ornamenta complexum eſſe, vt in eo ex omnium hominum, omniumque ſæculorum laudibus, ac virtutibus collecta in vnum perfectio cumulatiſſime triumphet. Luceat, vt libet, cæteris in Actoribus vel illuſtre pugnandi deſiderium, vel perpetua in pugnando felicitas, vel Martius vndique furor, ac conſtantia. Fulgeat in alijs ſuperbiſſimę Magnificentiæ Diuina propemodum Maieſtas, aut in oſſeæ, carneæque turris mole robur humano maius. Placeat, vt velit, in alijs decor capitis, oris dignitas, fulgor oculo-

rum,

rum, & apta quæuis membrorum cum grata quadam coloris ſuauitate proportio, quę perſtringat, & inuitet, inuitoſque ſimul quodammodo pertrahat, & catenet aſpectus. Suſpiciatur vel in mulierculis ipſis mille florum, mille odorum affluentia, colorũ, ac veſtium, vnguentorum, ac ornamentorum numerus innumerus. Laudent alij in alijs præſtigiatricem aſtutiam, & vulpinam ad omnia ſe ſe fingentis commutabilitatem: multiplicem in alijs eruditionem, perſpicuam in alijs narrandi ſeriem, argutum in alijs vellicãdi acumen, in alijs vocum concentum, in alijs numerorum harmoniam, in alijs ſonorum menſuram, & ſexcenta huiusmodi aurium lenocinia. Commendent

dent alij in alijs modo rerum, ac rationum inuentionem, modo morborum, ac medicamẽtorum cognitionem, modo prognoſticorum obſeruationem, & in futuris ſimilibus conijciendis ſagacitatem. Admirentur alij auream in alijs conſiliorum dexteritatem, fidam in alijs erga clientes fidẽ, mirabilem in multis memoriam, egregiam in nonnullis prouidentiam, incorruptam in pluribus iuſtitiam, & ſynceram in aliquibus innocentiã. Obſtupeſcant, inquam, vt decet, ſingularem omnes in quibuſdã cæleſtis doſtrinæ ſanctimoniam, Diuinorũ Oraculorum interpretationem, ampliſſimamq. apud omnes auctoritatem. Nihil horum omniũ, Auditores, de perſonæ no-

ſtræ

ſtræ dignitate detrahit, nihil oratoris officit excellentiæ. Singulas in ſingulis ſcenæ huius actoribus dotes, aut etiam in pluribus plures, vltro concedam; at in Eloquente, Deus bone, in quem, vt omnia in Oceanum flumina, omnis honor, omne decus, omnis vera laus confluxit, omnem omnium Perſonarum dignitatem, ac amplitudinem, omnia omnium encomia perfectiſſime cumulata, ſumma omnium admiratione, plauſuq. ſpectanda, contuebimini. Prodeat in Scenā verus Eloquens; de hoc enim, non de concionali quopiam, vendibiliq. locutuleio diſputamus, prodibit illico veſtros ob oculos cum eo pariter indicibilis illa, & pluſquā regia, ne dicam, pluſquam huma-

mana, venerandæ ſimul & amandæ plena maieſtatis auctoritas, quæ liberas hominum mentes, quo vult, rapit, & in toto cætu non imperio; ſed, quod dulcius, ac mirabilius eſt, ingenio dominatur. Prodibit, ſi res ferat, acerrima illa dicendi vehementia, qua ſuccenſus Orator, ardenti vultu, igneſcentibus oculis, tonante voce, fulminante motu, vibratis manibus, eloquentis enſe linguæ cominus, eminus pugnat, hoſtes percutit, amputat, concidit, elidit, & innumerabiles ſibi ſolus comparat victorias. Prodibit cultus ille vernantis orationis ornatus, ac pulcritudo, in qua, quot figuræ, tot gemmæ; quot dicta, tot purpuræ; quot voces, tot flores mira varietate, mi-

mira cum voluptate ſpectentur. Quis autem ſpectatorum ſtatim circumſpectiſſimæ Oratoris prouidentiæ non plaudat, qui ocyſſima mentis agilitate ſtudioſiſſime rerum opportunitates indagat, tempeſtiue tempora obſeruat, prudenter omnia ſeligit, quibus aditum ſibi ad tam multiplices, ac varios latentis hominũ ingenij flexus, & anfractus ita commode pertentat, ſedes, ac ſtatus tam ſagaciter explorat, fugientes occaſiones tam prouide venatur, & rem ipſam veſtigijs omnibus ita quadammodo odoratur, vt in auditorum animos ſemel, ac ſenſim illapſus potius, quam ingreſſus, eos illico non oppreſſos, nec inuitos; ſed videntes, & volentes, de ſua ipſo-

ſorũ ſententia diſcedere,& quod omnium difficillimum videtur, oratoris ingenio cedere perſuadeat? Quis Auditorum non admiretur in Eloquente ſuauiſſimã illam in iocis feſtiuitatem, lepidiſſimam in facetijs ambiguitatem,ſapidiſſimã in ſalibus comitatem,& omnibus in rebus amabiliſſimum illud ingenioſiſſimæ ſpecimen ingenuitatis, ad deuinciendos hominum animos, cum eò ſit potentius, quò ferit dulcius, philtrum omnium aptiſſimum? quis vnquam prodigioſam in Eloquentis perſona ſapientiam non obſtupeſcat,qua domi, militiæq. inter tot, & tam varios ætatum mores, tot familiarum diſcrimina, tot fortunæ viciſſitudines, tot opum varieta-
tes,

tes, tot honorum gradus, tot naturæ propenſiones, tot educationis formas, tot ingeniorum diuerſitates, tot gentium conſtitutiones, tot populorum conſuetudines, tot inſtituta nationum, tot regionum genios, ac ritus, ita ſe ad perſuadendum apte cum omnibus componit, vt omnium ſimilis, nullius ignarus, ſemper inſtructus, nuſquam hoſpes, vbiq; in patria eſſe videatur? Cæleſte prorſus ſpectatoribus erit maximum illud Oratoriæ mentis horreum, memoriæ felicitas, qua tam multas res, & ſententias, tam varia verba, tam eleganter nexa, tam celeriter ediſcit, tam diſtincte conſeruat, tam ordinatim ſingula, tam fideliter vniuerſa in theatrum profert, nihil vt plane

in

in tanta rerum turba turbatum efferatur. Diuinam deniq. Perſonæ huius efficaciam eſſe cum ſpectatoribus ipſis conclamabitis Auditores, cum ipſas hominum mentes, Deo vni peruias, orator quoq. rimetur, illorum ſtudia penitus introſpiciat, leuiq. ſuo moratæ orationis lenocinio frequentiſſimorum cætuum voluntates ſuo voluat arbitratu; quo vult, impellat; vnde vult, abducat; & tandem amabilem æq. ac admirabilem in auditorum cordibus tyrannidem conſtituat. Et quis iam audeat ſpectabiliſſimam Eloquentis Perſonam cum reliquis omnibus comparare? Sed parum hucuſque diximus, Auditores. Non ſolũ ſola Oratoris Perſona omnes omnium

nium perſonarum virtutes in ſe ipſa, quaſi in ſpeculo, exquiſitiſſima ratione permixtas, perfectaſq. repræſentat, vt nihil alienæ ſpecioſitatis indigeat, cum vere, ac iure vna omnium inſtar habeatur; ſed, cum omnibus de rebus diſſerere debeat, quęcumque bonarum artium ſingulę docent, hęc vna didicit vniuerſa, ipſumq. omnino continet Encyclopædię coronamentum. Agedum ergo confluant ad Eloquĕtem aliquem doctiſſima quæque virorum capita; conuolent ad Oratorem curioſiſſimorum hominum agmina; quicquid audire volent, quicquid mentes percipere valent, ea omnia ab hoc vno, quaſi ex Delphico Oraculo, & ſæpe plura etiā cognoſcent,

quam quæ antea vel ſciri,vel deſiderari poſſe crediderant. Suſpicient hunc frequenter, ſi ſe dedat occaſio, tum Græce, tum Hebraice, modo Arabice,modo Syriace loquentem, vt Geryonē Auditores audire ſe putent, qui diuerſos e triplici ore, eodem tempore, ſonos effundat. Antiquitatem hic callebit vniuerſam, & vniuerſas temporum omnium perfectiſſime tenebit hiſtorias. Ariſtotelicam in Eloquente Philoſophiam, Platonicam, Pythagoricam,Ægyptiacam ad ſtuporem vſq. diligenter hauſtam reliqui actores, nedum ſpectatores ipſi, contemplabuntur. Medicę facultatis fundamenta, & propria praxis præcepta, mirum dictu, ſi id orationis ratio depo-
ſcat,

ſcat, quam perfecte habeat perfectus Orator in promptu. De moribus, ac Politicis tam polite, cum opus erit, ediſſeret, vt nil melius Noſtrates, & Veteres addere potuiſſe dicantur. Cæli curſus, ſiderum naturam, regionum poſitionem, terrarumq. diſcrimina, ſi de his agat Orator, non didiciſſe tantum; ſed cum Mathematicis, Arithmeticis, ac Geographis ipſis & oculis perluſtraſſe, & manibus comperiſſe videbitur. In Meteoris, in Anatomia, in Chimicis non contentum ſcientia, operi quoque, ſi diſputantem Eloquentis Perſonam audiant, feliciter manum admouiſſe, centies, ac millies per Stygiam ipſam paludem ſpectatores illico iurabunt. Præterea,

præter ſacrum, profanumq. Ius; præter Theologica omnia, præter artium, Diuinorumq. Bibliorum Interpretes, præter animorum arbitros, & Chriſtianæ vitæ cenſores, quicquid etiam de re ipſa militari conſcriptum ſit vnquam, tam ſedulo ab Oratore euolutum demirabuntur auditores, vt in bellis ſuſcipiendis, locis captandis, conſilijs occultandis, hoſtibus detegendis, exploratoribus eludendis, militibus eligendis, exercitibus exercendis, tyronibus animandis, armis parandis, machinis adhibendis, impedimentis amouendis, claſſibus inſtruendis, commeatibus adducendis, ſtipendijs ſoluendis, acie inſtruenda, pugna pugnanda, victorię modo moderando eum ipſum

ſum non modo coram adfuiſſe; ſed re ipſa præfuiſſe contendant. Ita tãdem diſciplinis orator omnibus excellens apparebit, vt ſingularis in ſingulis eum ſe vnum apud omnes præſtaturus ſit; cuius in ore, ac pectore, cuius in ingenio, quaſi ſacrario, Heroum omnium ingenia, & inuenta ſpecioſiſſimo quodam Diuinitatis argumẽto refloreſcant; qui vnus omnia propemodũ ſciat, & vnus omnia quodammodo ſit; in quo, vt multos Cæſari Marios ineſſe Scylla prędicabat, ſic in arctum coacta Sapientium multorum inſit amplitudo. O admirabiliſſimam Eloquentis hominis Perſonam, ò ſpectabiliſſimum ſpecioſiſſimæ ſcenæ Actorẽ! Quis hunc Hominem hominem putet; non

viuam potius, ſpirantemque Bibliothecam, cui Deus omnes eruditionum, omnes ſcientiarum, omnes omnium Ingenuarum doctrinarum theſauros crediderit? Sed adhuc plura expectatis, opinor, auditores, quia plura in Oratore ſuſpiciunt ſpectatores. Non modo, cunctis oratoris Perſona prædita eſt diſciplinis; ſed etiam, dum ſuo fouet in ſinu, ſua eas perpolit elegantia, ſuo ditat ornatu, ſua condit ſuauitate, ſuęque fulgore maieſtatis illuſtrat. Quam exquiſitus; amabo, quam mirus eſſet in bello rei cæteroquin militaris ſcientiſſimus, animi, corporiſq. viribus valentiſſimus; at eloquẽtia deſtitutus Imperator? quomodo ab eo militum animi, quos non adeo tuba-

rum clangores acuunt ad pugnã, vt ad virtutem, & gloriam hortatur oratio, ad ardua adeunda, & formidoloſa floccifacienda, feliciter erigi; quo modo metu conterriti, pæneq; iacantes excitari, raborarique poſſent? Quis vnquam egregie Iuriſconſulti, vel Medici, Conſulis, vel Legati, Prætoris, vel Patroni, aut etiam præſtanti quouis alio Reipublicæ munere perfungi queat oratoriæ facultatis imperitus? Quis vnquam obſcuriſſimas ex omnibus Doctrinis quæſtiones, & pæne incomprehenſibilia ſubtiliſsimarum difficultatum acumina, quæ vel ingentia diſcentium ingenia identidem obruunt, ſatis intelligat, niſi doctorem ſortiatur Eloquen-

 tem,

tem, qui ex omnium artium inſtrumentis, ex omnium ſcientiarum penu, delibatas afferẽs ſimilitudines, tenebras ipſas vel exterminet, vel illuminet, & omnia ſumme ſimul ardua, & impedita tam iucunde explanet, tam enucleate diſtinguat, tam euidenter expediat, vt luce ipſa lucidiora, facillima cuique fiant, & plebeis etiam mentibus apertiſſime valeant inſtillari? Incultæ nimirum eſſent, & imperfectæ, inſuaues, & hiſpidæ, laterent, obſoleſcerent, vileſcerent, ſorderent, ſtomacum, & nauſeam mouerent omnibus reliquę diſciplinę omnes, niſi aureo Eloquentis in ore, quaſi deliciarũ in horto, & Gratiarum in ſinu, abſolutiſſimus ijs ornatus, ac pulcritudo, iucundiſ-

ſima

ſima ſuauitas, ac dulcedo, Prę-
clariſſimus nitor, ac amplitudo;
quaſi ſuprema ſupremi artificis
manus, & coronis accederet. Sed
adhuc ne parum me dixiſſe dicã,
Auditores? Parum omnino: im-
mo plane tam parum, quam mul-
to Deus cætera excedit interual-
lo. Oratoris perſonam, non cę-
terarum modo Pulcherrimam,
& perfectiſſimam; non Principẽ
tantum, ac Reginam, non Epito-
men ſolum, & Compendium;
ſed perſonarum omnium Deam
propemodum, vt antiquorum
verbis vtar, Dei veri ſimillimam
affirmo. Quoties hæc vna ſcru-
tans hominum corda, quod non
niſi Diuinũ, & ſupra naturę vim,
ac ordinem facinus haberi ſolet,
latentes illorum morbos, nulla

medicorum cura, nullis artium artificijs, nullius alterius ope ſanabiles, ſola verborum vi, virtutumq. ſuarum præſtantia procul expulit, ægrotantesq. ſpectatores nihil huiuſmodi ſperantes, nec tale quicquam cogitantes, ſine dolore, ſine diſpendio, priſtinam, perfectamq. perduxit ad ſalutē? quoties, inquam, vel exaſperatis odiorum vlceribus, vel væſana irarum phreneſi, vel febrili amoris æſtu, vel venenata inuidiæ tabe laborantes, vel ſexcentis huiuſmodi peſtiferis morborum cōtagijs lethaliter infectos dicendo mirabiliter curauit? Quin etiam, quod omnium maxime mirandū eſt, quot hominum capita obſcuriſſima nominis ignobilitate ſepulta Eloquentis hominis perſo-

ſona, ſuis exſuſcitauit vocibus, ſuis animauit encomijs, ſuis illuſtrauit ornamẽtis, & quaſi e mortis tenebris rediuiua ad immortalem vitæ famam, famæq. gloriã reuocauit? & non exclamem! O ſpecioſiſſimam, ò ſpectabiliſſimam, ò plauſibiliſſimam in vniuerſo terrarum Theatro Eloquẽtis admirabilitatem! ò cæleſtem Oratoris potentiam! ò Digniorẽ Imperatoria Actoris huius Maieſtatem! ò perſonarum omnium Diuiniſſimam, ſupremæ, vt hìc poteſt, pęne parem Diuinitati! Sed quò trahor, Auditores? quò me rapit admiratio? Si Oratoris Perſona, quam cæteræ omnes, Deo propius aſſimilatur, Deũq. pro dignitate laudare, aut idoneo illius Numini nomine com-
 pel-

pellare nemo poteſt, cur me omnium minimum id agere voluiſſe non pudeat? Pudet Auditores, & reſipiſcam: atq; adeo Perſona omnium ſpectabiliſſima qualitercumque, vt propoſueram, indicata, impreſſo iam, vt par eſt, ori digito, vt, quod mea nequiuit oratio, ſilentium, quo ſacra veneramur, admirabilem perſonæ eiuſdem ſpectabilitatem dignius enarret, obmuteſcam, & mirabor.

DIXI.

SPECVLVM
DIVINÆ IMAGINIS.
SIVE.

De Oratore Dei Imaginem in terris præſtantiſſime præ ſe ferente

ORATIO.

Ad Præſtantiſs. Patrem
MICHAEL. ANGELVM
FARISELLVM
ORD. SERV. B. V.
S. Th. Magiſtrum,
STVDIORVM REGENTEM,
Vniuerſitatis Placen. Theolog. Collegam,
S. INQVISIT.
CONSVLTOREM,
Academ. Genialem, &c.

Præſtantiſs. Pater.

CVm ea, quæ ſunt Cæſaris, Cęſari; & quæ ſunt Dei, Deo, Diuina iubente Sapientia, reddere debeamus: meæq. Oratiunculæ huius Imago, ac Superſcriptio non tam Dei, vt Conditoris Archetypi, quam Tui, vt Oratoris eximij, Speculum nobis ſpeculandum exhibeat, eam Tibi non dono; ſed reddo, Tuamq. non facio; ſed fateor, Eloquentiſſime Fariſelle? Facũdiam abunde Tuam tota iam prædicat Italia, in qua Vrbs ipſa, & Vrbium Maximæ Te vbiq. Tui ſimilem, ac admirabilem, tam auide audierunt, & tam plauſibiliter ſuſpexerunt, vt Nominis tui nullibi ſit intermoritura memoria. Sapientiam vero non omnes tantum Tui Ordinis alumni,

alumni, qui Te tum ad Studia quælibet Regenda, quod plures annorum hebdomadas mira cũ laude præſtitiſti, tum ad Prouinciarum omnium, ac Ordinis uniuerſi habenas digne moderãdas aptiſſimum, æque ac meritiſſimum norunt, ſingulariter admirantur; verum etiam Academiarum cœtus, qui Te in Academicum, Theologorum Collegia, quæ in Collegam, S. Inquiſit. Tribunalia, quæ in Conſultorem, & Cardinales ipſi, qui Te Suum in Theologum elegerunt, eam ampliſſime teſtificantur. Quare, quod exſoluo, libenter excipe, animumq. meum in re bona tam bonum boni conſule, & bene vale.

Plac. Id. Ian. MDCL.

Deditiſs. Ser.

Petrus Franciſc. Paſſerinus.

ORA-

ORATIO.

SApientiſſimus rerum omnium Architectus, & Archetypon, earundemque omniũ Altor, & Moderator Deus, in primo illo Megalocoſmi opificio, creatis iam cuiuſq. generis ſtirpibus, & animantibus, ampliſſimoque vniuerſitatis huius ſeu Theatro, ſeu Templo ad æternam æternæ mentis Ideam conformato, Hominem in eo, quaſi Vicarium ſuum, ceterorum Dominum, Epito-

tomen, ac Microcoſmum, collocauit. Quamquam autem, vt nos ad ſui amorem pelliceret,longe, lateq. rebus omnibus ſuę veſtigia Diuinitatis infudit; attamen, vt Phidiam ferunt in Minerua, quã eximia manus, & artis gloria, omnibuſq. genij,& ingenij lenocinijs præſtantiſſimè perpoliuerat, ſuam ipſius imaginem impreſſiſſe,ſic Deus Homini, ne Dæmones illum aut læderent, aut illuderent, neue Cæli, aut Angeli eidem inſeruire dedignarentur, non veſtigium; ſed ſimulacrum indidit,non radium; ſed ſolem ipſum ſuę Imaginis, ac Similitudinis expandit,& impendit. Verum enim vero,ſicuti ſupremæ liberalitatis, ac potentiæ, infinitæq. bonitatis, ac ſapientię.
id

id fuiſſe,& ex ipſis Sibyllarum,ac Prophetarum oraculis, certiſſimum, atque apertiſſimum hoc eſſe non ignoramus: ita Diuinã hãc Imaginem,ac ſimilitudinem, ad quam facti ſumus, indicare, vndecumq. ardui, & vſquequaque impediti operis eſſe non diffitemur. Quamobrem tantam hanc aliqui tanti fecere difficultatem,vt, cum multa ea de re diu diſputaſſent, in eam demum eorum venerint opinionem, qui Dei quidem Imaginem in hominibus effictã credidère; ſed qua in parte hominis, quoue modo illa eadem appareat, incompertum adhuc, & incomprẽheſibile, nec nobis; ſed vni Deo cognitũ eſſe conſuerunt. Paucis tamen, Academici, hodierna die eum

vobis in homine, & quidem inter naturalia illius dona, veri Numinis exemplar, & DIVINÆ IMAGINIS SPECVLVM ſuſpiciendum, ac admirandum exhibebo, quod Diuinam ipſam effigiem; quam maxima poteſt ſimilitudine, ad viuum omnino repræſentabit, vobiſq. ipſi continuo in Homine Deum, vt ita dicam, videre, & quaſi de facie noſcere videbimini. Sed quęnã erit, amabo, hæc in homine tabula? quænam artis lineamenta, quæ colorum pigmenta, qui Penicillus vnquam formoſiſſimã illam, quam inquirimus, Dei effigiem fingere, Diuinumq. Numen humano in ſpeculo pingere poterunt, cum ſolus ille Supremi, ſempiternique Parentis Filius,
can-

candor lucis æternæ, & ab æterno e Diuina mente genitus,eiuſdem conſors naturæ, eiuſdemq. particeps Diuinitatis, vnicũ Dei ſpeculum ſit,in quo plena,ac vera Patris imago eluceſcit, creataque omnia, quantacumque ad Deum vicinitate propius eleuentur, ab infinita ſemper maieſtatis eius immenſitate immenſa, infinitaq. diſtent intercapedine? Quid hic vobis meras illas Antropomorphitarum affanias, & abſurda deliramenta decantem, qui hominem dici ad Dei imaginem fictum idcirco fingebant, quod Deum corporatum eſſe, & aliquando Patriarchis, ac Prophetis, humana omnino forma, figuraq. præditum apparuiſſe prædicabant? quid hic nouum
il-

illud, ineptumque illorum commentũ commemorem, qui Hominẽ vere ad Diuini Plaſtis imaginem efformatum aſſirmabant, quod eo temporis ſaltem, cum hominem effingeret, vt cum eo ſermonem humano more miſceret, noſtram is induerit humanitatẽ?noſtro in corpore, Academici, nõ ea ſunt ornamenta, quibus ad Diuinę maieſtatis conſortium aſſurgamus: ideoq. faceſcant a nobis ij omnes, qui, quod ex omni æternitate conſtitutum erat a Deo, vt Verbum æternum ſtato tempore verus Homo deuolaret in terras, ideo Hominis huius exemplar in Protoplaſto, nobiſque omnibus expreſſum aſſeuerarunt. Faceſſant ij quoque, qui Dei formam eatenus hominibus inu-

inuſtam credunt, quatenus eos Deus Ideæ, quā in mente gerit, vndecumq. ſimillimos figurauit, faceſſant, inquam, quotquot Humani corporis formā Diuinę imaginis Speculum appellant, quod ad cælum contemplandum, hominum, quam animantium omnium effigies, habilior habeatur. non Diuinam Imaginem; ſed Diuinæ Imaginis vmbram adumbrat, quidquid e corporis pulcritudine pullulaſcit. quis enim veram cælo, & ceno, quis corpori, & ſpiritui communem imaginem, præterquam imaginariam, agnoſcat? Hominis igitur animum introſpiciamus, Auditores, & quidnam inter eximias, ac admirabiles intelligentis naturę dotes, ac theſauros, omnium emi-
nen-

nentiſſimum in ſe ipſo ſui gerat Opificis ſimulacrum, quam poſſumus, diſtinctiſſime contemplemur. Nunquid ergo in eo ſitum arbitrabimur, quod non minus anima corpus, quam Deus Orbē implet? quod non minus vna membris omnibus, quam Deus rebus pręeſt vniuerſis? quod nec iſta corporis, nec ille mundi ſordibus inquinatur? nunquid in eo, quod Deus, & Anima cætera vident, & non videntur? quod tres in eo Perſonę, & tres itidem in hac ipſa Facultates, Intellectus, Voluntas, ac Memoria, memorantur? quod vtriuſque vel ſubſtantiam, vel pulcritudinem, vel habitationis locum, vel exiſtentiæ modum plene, planeque ignoramus? nunquid in eo, quod

animus noſter Deum intelligendo Dei imaginē exprimit? quod nos ipſos nos ipſi cognoſcendo noſtrum ipſorum ſimulacrum formamus; quod ſimul amare cogimur, quibus in rebus mirifice Diuinam quodammodo delineamus Trinitatem? quid ergo? nunquid Homo Deo ſimilis erit, quia libero pollet arbitrio? quia Diuinę Amicitię capax eſt? quia Deum hic per Speculum, & in Ænigmate; ſed in Empyrio facie ad faciem videre poteſt? quia, quaſi Deus, omnia quodammodo in ſe continet? Homo enim cum Superis commune id habet, vnde intelligit; cum brutis id, vnde ſentit; cum plantis id, vnde creſcit, & cum inanimis id habet, vnde exiſtit. Ea, qua

debeo, reuerentia ingenioſiſſimas, æque ac veriſſimas, quotquot ſunt, Sanctiſſimorum Patrũ ſententias veneror, & amplector; in quibus enim homines cæteris antecellunt animantibus, in ijs indidem propius accedunt ad Deũ, Diuinæq. Dignitatis imaginem participant. Sed cum omnes animi noſtri perfectiones, quę Diuinam videntur æmulari Maieſtatem, in hominum Eloquentia, Diſciplinarum omnium Principe, ingeniorum omninm Regina, animorumque omnium Imperatrice mirum in modũ variegatę connectantur, in ęaq. Dei architectantis Imago, omnibus expreſſa coloribus, omnium eminentiſſime ſplendeſcat, cur Eloquęntiam Auditores DIVINÆ

IMA-

IMAGINIS SPECVLVM non appellabimus ? cur vel perfectiſſimam ſummi Oratoris in ſummo omnium Conditore, vel certe ſummi omnium Conditoris in ſummo Oratore ipſo Imaginem, mutuamq. vtriuſq. ſimilitudinẽ non admirabimur, & adorabimus ? Quod Deus in orbe terrarum, hoc in auditorum cætu pręſtat Eloquentia: continet ille omnia, nec continetur; Eloquentia capit omnia, nec ſatis ipſa capitur: per omnes ille mundi plagas diffunditur; omnes Eloquẽtia diſciplinas perlabitur: penetrat ille montes, & marmora; permeat Eloquentia mentes, & pectora: ille in cælo; hæc in corde regiam habet: illuminat ille Solem, & ſidera; illuſtrat hæc orationem, ac

ingenia : calcat ille Inferorum potentiam; frenat hæc hominum appetitus : ille Veritas eſt ; hæc opertam , ſepultamq. veritatem profert in apertum , ac in Solem ipſum, difficilia explicat, inuoluta diſtinguit,& abſtruſa omnia omnium accommodat cognitioni . O fulgentiſſimnm, mirabiliſſimumque Eloquentiæ ſplendorem æternæ, Diuinæq. luci ſimillimum ! Eam præſefert, Auditores, Dei ſpeciem, ac effigiem Eloquentia , vt, ea qui præditus ſit , Deus quidam (ſi cum Tullio loquamur) inter homines habeatur. Sapientię parens Deus eſt ; Sapientię & filia , & ſoror Eloquentia eſt Doctrinarum ille omnium opifex eſt; hęc docendi, dicendiq. artifex eſt . Agit ille

om-

omnia; agit hęc de omnibus. MEL, ET LAC SVB LINGVA ILLIVS; at FAVVS MELLIS VERBA COMPOSITA. nonne Pindaro, Platoni, & Ambroſio, cùm infantes adhuc iacerent in cunis, apes ipſę vel mel in os ingeſſiſſe, vel mellis fauum ędificaſſe viſę ſunt, vt quorum ab ore futura erat melle dulcior oratio, eorum illę meliſluam pręnunciarēt ſuaueloquentiam? Sed adhuc prima quędam hęc ſunt in Oratore, Diuinę veluti formæ, vel elementa, vel lineamenta. Cominus agamus, Auditores, acrius in rem oculos defigamus, mirabilioremq. cum Prototypo collationem contemplantes, ſingulare hoc DIVINÆ IMAGINIS SPECVLVM ſingillatim

 ſpe-

ſpeculemur: videamus, inquam, quid vnquam, rebus inuicē comparatis, Perfecto Oratori ad perfectam Conditoris Imaginem, ac ſimilitudinem exprimēdā deeſſe videatur. vultis in eo Diuinam illam virtutum omnium excitatricem, errorum, vitiorumq. omnium necem, Iuſtitiam, quæ pænas, & præmia ęqua lance diſtribuat, & præſit, ac proſit vniuerſis? Orator illico ſuaui Eloquentiæ ſuę vi, quam vel nolentes norunt omnes, reis mortem, innocentibus vitam, virtuti laudem, vitio dedecus, rebus vtilibus auxilium, & pernicioſis exilium affert. vultis in eo Diuinæ bonitatis exēplar? Orator illico agēdarum, fugiendarumq. rerum lucem profert, ciues inuicem con-

ci-

ciliat, ſeditiones expellit, diſcordias extinguit, parat inducias, bella debellat, pacem alit, & humanam parit felicitatem. vultis in eo Diuinæ ſpecimen miſericordiæ? Orator illico fomentum facit dolori, lacrymas leuat, mœrorem minuit, ſupplicibus ſubuenit, & Pater Patriæ factus opem implorantibus paternam impartitur operam. Deſideratis in eo Diuinę liberalitatis abundantiã? Orator illico, non ſecus ac ipſa princeps cauſarum Cauſa, effectus eos efficit, hominumq. voluntates ſic euoluit, vt nutu ſuo, cuicũq. voluerit, in bello victorias, in pace Principatus donarit, Rerum publicarũ regimina, Prouinciarum prouincias detulerit, Gentium Regna, & populorum

Imperia erogauerit? Deſideratis in eo Mirabilem illam, Diuinæ ſimillimam, rerum omnium moderatricem Sapientiam? Orator illico quacumq. de re propoſita, tam eruditam inſtruit orationẽ, tam aperte docet, tam mellite mulcet, tam valide mouet, vt verborum ſuauitate, argumentorum grauitate, & incredibili vnius linguæ imperio, in quam velit ipſe, partem ſuos traducat auditores? Deſideratis in eo cæleſtẽ illam Magnæ mentis aciem, ingentiſq. ingenij perſpicacitatẽ? Orator illico in omnem occaſionem paratus, æq. ac intentus, in promptu, ob oculos, præ manibus habet, quid tempori, quid loco, quid perſonæ, quid cuique rei tum conueniat, tum expedi-

at; hinc opportune non modo ſua confirmat, aliena refellit, obuiantibus occurrit, falſa fallit, quæq. communi fere vſu viluerunt, tranſmariuo quaſi cultu renouata cum pretioſiſſimis numerat; ſed etiam tempeſtiue vel laceſſit aduerſarios, vel laceſcentibus ictus refert, modo vere aggreditur, modo ficte fugit, modo ioco, modo ſerio certat, modo ſalibus pungit, modo facetijs vngit, modo ambigue ſuſpendit, modo acute offendit, modo ludit, modo illudit, modo blanditur, modo cauillatur, & perpetuo ambidexter eam ſemper exerit ingenij dexteritatem, quæ Diuina potius, quam humana ab omnibus habeatur. Quid aliud igitur in hoc noſtro Diuinæ imagi-

nis Speculo aut videre deſideratis, aut deſiderare poteſtis, Auditores? vultis ne in eo quoque vini illam Diuinam prodigiorũ effectricem intueri? Orator illico, vt poetę tradunt, leones dicendo demulcet, tigres oratione cicurat, ſaxa voce mollit, ventos vi tenet, & ſyluas, ac flumina ſibi facit audientia. Quæ ſi forte vobis incredibilia videantur: at certe vero verius eſt, quod dicã Aud. Oratorem, inquam, eum ipſum eſſe, qui tam varia hominum genera, & ingenia, more pecudum viuentia, e ſyluis olim in vnum coëgit, pro glandibus fruges oſtendit, ſanctiſſimis legibus ligauit, & feros, ac efferatos illorum affectus, ac mores in dies magis amabiliter manſuefa-

cit,

cit, dura illorũ pectora, ſeu melius marmora, ſuauiter mollificat, & in omnem voluptatem defluentes mirabiliter retardat. Deſideratis ne in eo tandem vltimum illud imaginis decus, abſolutamq. perfectionem, Archetypi omnipotentiam? Quid in terris ſecũdũ Deum Oratore potentius? Oratoris imperium, Auditores, tam magnum, adeo vaſtum, tamque immenſum eſt, vt nullis rerum naturaliũ, vel moralium, ſacrarum, vel ciuilium, humanarum, vel Diuinarum, terreſtrium, vel cæleſtium limitibus, vt alia, coarctetur; ſed res plane omnes complectitur, illiuſq. non comminationibus, ſed cõmotionibus ſtatim obediunt, nedum audiunt, vniuerſi. Quis vnquam,

præterquam Deus, & Orator, liberam hominum voluntatem expugnare potuit? Regiam hanc animorum Arcem, ſuapte natura firmiſſimam, arte, ac conſilio munitiſſimam, nulla Regum, nulla ſiderum, nulla fati vis, niſi volentem, aut vicit, aut vincere poterit in poſterum, Auditores; ſola Oratoris potentia, vere flexanima, non vi, non armis, nõ imperio, quantumuis pertinacem, atque obſtinatam, dexteritate quôdammodò Diuina, flectit, expugnat, ſuam redigit in poteſtatem, ſuoq; moderatur arbitratu. O potentiſſimam Oratoris facultatem! ò fortiſſimas Oratoris voces, ac vires! ò validiſſimas Oratoris Machinas! ò glorioſiſſimam Oratoris eloquentiã! ò admirabiliſſi-

liſſimã Oratoris potétiam! ò Diuiniſſimam Oratoris Dignitatē! Nihil erat in nobis, Auditores, quod vni eſſet expoſitum Deo, niſi hæc vna voluntatis humanæ Diuina propemodum libertas; ſed, cum Oratoris potentia hanc etiam victoriarum ſibi victoriam vendicet, quid aliud ſecundum Deum Oratorem eſſe dicemus, qui vel de animis ipſis triũphat, quam Regum ipſorum Regem, & Dominantium omnium Dominum, qui, vt auguſtiſſimi Numinis expreſſiſſimam gerit imaginem, & excelſiſſimo gloriatur imperio, ita lucidiſſimum DIVINÆ IMAGINIS SPECVLVM iure, ac merito appelletur? Nihil in humanis eſt, & nihil vnquã excogitari poteſt, Auditores, exar-

man-

mādis animis, quod Imperij culmen eſt, Oratoris efficacitate præſtantius. Quam mire Orator, cū oportet, protinus in Proteum verſus, in omnes ſe ſe formas vertit,& omnia fit omnibus, vt omnes hominum animos amabiliſſimis eloquentiæ ſuæ delicijs, quaſi licijs,arctiſſime deuinciat,& vincat? quoties in ignem accenditur, vt inflammet? in ſtimulum acuitur,vt pungat? in lucem tranſit, vt illuſtret? in ſirenulam euadit,vt ſoletur? frenum fit, vt compeſcat? & omnia obſeruat, vt omnibus inſeruiat? O perfectum Oratorem perfectiſſimum Dei Typum, ſpecioſiſſimū Dei Speculum, ipſiſſimum Dei Simulacrum. Non immerito Vrbes olim, ac Prouinciæ perfectis

Ora-

Oratorum triumphis, iiſdemque miraculorum vice habitis, admiratione ſtupefactæ protinus exclamare cogebãtur, Vel nihil homine maius, vel id Oratorem eſſe: aut Oratores Deos eſſe, aut Deos factos Oratores. Ego ipſe etiamnum id ipſum vſqueadeo obſtupeſco, vt vltimum hoc vnum dicam

DIXI.

SCHE-

SCHEDIASMATVM
ACADEMICORVM
Pars Secunda
PRÆFECTVRARVM,
ET LAVREARVM
COLLATIONES
Complectens.

SYMPOSIVM
DARIANVM,
IN QVO

Propoſiti ab Academicis Griphi omnium optimus Enodator Præfectura, & plauſu donatur.

Ad Illuſtriſſimum Comitem

ALBERTVM NICELLVM

I. V. D. ex Placentino Iudicum Collegio, &c.

Illuſtriſſime Comes.

SYmpoſium Tibi ſiſto, Conuiuam Te volo; inuitantis votis non inuitè, & quæ Tua ſemper eſt in me ipsũ comitas, comiter annue, Illuſtriſſime Comes, Generis nobilitate, Ingenij amabilitate; Feudorũ, & fundorum amplitudine, alijſq. Fortunæ, ac Sapiẽtiæ donis comitatiſſime, ALBERTE NICELLE. Quid enim dulcius, ac decentius, quam cum Amicis non Amuſis conuiuere, & conuiuari? Quid ſapidius, ac ſapientius, quam Sapientum more ad menſam mentes melius, quam dentes exercere? Quid gratius, & gratioſius, quam docta dicta offerendo, & referendo lætiſſime, ac lautiſſime epulari? Sed tuo, inquies, in Sympoſio,

non

non opipare præparato ; ſed paupere opere adornato, quæ Naturæ condimenta? quæ Artis illectamenta? vbi Ingeniorum lautitiæ? vbi Doctrinarum deliciæ? Quin, inquam, lęto, vt aſſoles, aſſide vultu: Tu enim ipſe, Sympoſium meum, ſi vel oculis ipſis colluſtraueris, ſatis ipſum illuſtraueris, & honoraueris; ſin autem gratum acceperis, ſatis illud ſcitiſſimis Gratiarum omnium, Virtutumque Tuarum epulis ornaueris, oneraueris, & coronaueris, vt Conuiuas omnes ad ſe pellicere, & placere queat, & nihil illi ſuperaddi valeat. Vt autem diutius nobiſcum conuiueris, Neſtoris annos viuas, & indies magis valeas.

Plac. Id. Ian. MDCL.

Obſequentiſs. Ser.
Petrus Franciſcus Paſſerinus.

A V-

AVCTORIS Ad Lectores

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆFATIVNCVLA.

ANtequam Sympoſium Vobis proponã, Symposij parãdi cauſas exponam, lectiſſimi Lectores. Ijs igitur omnibus, qui ingenuorum ingeniorum cultricibus, & altricibus Academijs (quas non immerito Muſarum Templa, Doctrinarum Domicilia, Sapientiæ Sedes, Virtutumq. omniũ Theatra dixeritis) haud ignauam nauant operam, moris eſt, vt non modo mores perficiãt, & magis, ac magis in dies proficiant; ſed etiam,

etiam, vt in Academicorum cœtibus cæteris vnum Pręficiant, ne tot Virorum capita ſine Capite viuere videantur. Hinc, neſcio quo pacto, factum eſt, vt Academiarum ſingulę ſingulas ſibi ad id Comitiorum formas inſtituerint. aliæ enim publicis, aliæ priuatis vtuntur votis; alię ſuffragia, alię ſortes adhibent; aliæ ex ordine Antiquiorem, aliæ vero Digniorẽ eligunt in Præfectum. Cũ autem e primis Italiæ Academijs vna in primis muneris id mihi mandaſſet, vt hoc idem ijs præſcriberem, & deſcriberem, parui, & paraui. Vtinam illud ipſum, quod Academicis, & Auditoribus pergratum fuit, Lectoribus etiam non ingratum fiat. Votis fauete, & Saluete.

SYM-

SYMPOSIARCHVS

Academiæ nomine

CONVIVIS ACADEMICIS

Griphum, & Præmium

PROPONIT.

QVandoquidem Hominibus e ſolitudinū diuortio in habitationum conſortium traductis eq. conſulere, atq. conuiuere antiquum eſt, quidni nos ipſi

Academię noſtrę Præfectum delecturi, dum conuiuamur, conſultemus? At vero quibus quęſo conſilijs, qua conſultationis forma, quo ſuffragiorum, quo ſortium, quo victoriæ genere vtēdum? An non de Pręfecti ſolum eletione; ſed de electione ipſa eligenda diutiſſime diſputabimus? Enimuero, cum Dei Regū omnium Regis Immortalem illam vnico, ſimpliciq. rerum omnium iutuitu perfectiſſimè ſingula comprehēdentem Curiam curis, ærumiſque ſepta Mortalitas hæc noſtra nequeat imitari, Darij ſaltem Aſſyriorum Regis, quo ad rei natura patietur, exemplū ſecuti, inſtituto ſolertiæ, ſapientiæq. certamine, præ cęteris eum Academicis, qui cæteris itidem om-

omnibus in eo præcelluerit, Academiæ Principatu digniſſimum decernemus. Maximum Darius ſuis e Prouincijs Principum virorum omnium Conuentum indixit, Auditores: ſolemnia habita Comitia, Regiũ celebratum Conuiuium, atq. ad eiuſdem, condimentum dicam, an ornamentum? ad animorum certe hilaritatem, atq; lætitiam, vt non cibis modo corpora; ſed ſuis quoq. pabulis reficerentur ingenia, qui multarum mos Gentium, ſed Græcorum in primis, Hebræorumq. fuit, propoſitum conuiuis Ænigma, Quid omnium fortiſſimum videretur? Tribus inter alios ſingulis ſuas dicentibus ſententias, eorũ vno Vinum, Regem altero, tertio Mulierem rem longe poten-

tiſſimam eſſe; ſed tamen Veritatem omnia vincere aſſerente; horum poſtremus Sapientum omnium, & Regis ipſius aſſenſu Victor eſt pronunciatus, Sapientięque præmia ex pacto decreta, vt purpura veſtiretur, aureo in poculo biberet, aureo in lecto dormiret, aureo in curru veheretur, aureo torque ornaretur, byſſinã gereret tiaram, Regis Amicus ſalutaretur, ſecundus ab eo ſederet, & deniq. Regios etiam inter Gentiles annumeraretur. Quid plura? Haud diſſimilem hodie, ne dicam eiundem omnino, rei huiuſcemodi euẽtum Vobis polliceor, Auditores. Fingite tantum Vobiſcũ ipſi quæſo animo, & cogitatione ampliſſimum hoc Academię noſtrę Theatrum Philoſo-

loſophicam quandam; Platonicam, Pythagoricam, ſiue ſimilẽ huiuſmodi Menſam eſſe, quæ Feſtis diebus, vt Athenis olim, Sapientũ conuentu doctrinæ tãtum cauſa celebretur: ego .n. mihimet ipſe perbene finxi, huc Vos, non famelicos Conuiuas; ſed opipare iam conuiuatos conueniſſe: & Conuiuali ſolum Problemati a dapibus diſcutiendo, ac diſſoluendo tempus hoc omne dandũ eſſe mecum ipſi cognoſcetis. Liberum igitur Vnicuiq. ſit ſuas hic ingenij, doctrinęq. vires exercere; atq. adeo nobiliſſimũ hinc Academiæ Principatum ampliſſimis, ijſdemque propemodum Darij muneribus locupletiſſimũ ex ipſa ſibi Academici Griphi ſolutione comparare, quem vni-

uerſa Vobis Academia breui hoc Diſticho breuiter exponendum proponit.

QVEIS CARET IPSE, PARENS DAT VITÆ MVNERA NATO:

OEDIPE, QVIS NATVS, DIC MIHI, QVISVE PARENS?

RHYTMVS MONOSYLLABICVS,

Academicis Sympoſiaci Griphi ſolutionem meditantibus;

A SYMPHONIACIS DICTVS.

FVge, fuge Mauors Trux;
Nobis eſt Apollo Dux.

Fuge fœde, pluſquam Fex,
Fuge cæce, pluſquam Nox,
Fuge ſæue, pluſquam Nex,
Fuge niger, pluſquam Pix,
Fuge teter, pluſquam Styx.

Fuge, fuge Mauors Trux;
Nobis eſt Apollo Dux.

Fuge demens, pluſquam Phryx,
Fuge ferox, pluſquam Trax;
Fuge dire, pluſquam Strix,
Fuge nocens, pluſquam Nyx,
Fuge crude, pluſquam Crux.

Fuge, fuge Mauors Trux;
Nobis eſt Apollo Dux.

Fuge velox, & quam Mox,
Fugit vt ab igne Nix,
Fugit vt ab ore Vox,
Fugit vt aſtrorum Grex,
Cum Sol prodit horum Rex.

Fuge, fuge Mauors Trux;
Nobis eſt Apollo Dux.

Non hic opus vlla Calx,
Vt ſtruatur nobis Arx:
Non eſt opus vlla Falx,
Vt cædatur noua Sphynx;
Sed acuta mens, vt Lynx.

Fuge, fuge Mauors Trux;
Nobis eſt Apollo Dux.

Adſit ergo menti Lux,
Aequa ſit Aſtreæ Lanx,
Sua ſit Victori Frux,
Et, æterna quaſi Fax,
Toto regnet Orbe Pax.

Fuge, fuge Mauors Trux;
Nobis eſt Apollo Dux.

SYMPOSIACI
Griphi
PRIMA SOLVTIO.

VT dictu perbreue, ita intelle-ctu, ne dum factu, perdiffi-cile mihi videri fateor, Auditores, quod noſtra nobis aſſeruit Academia: Qui vita careat, rei poſſe viuentis genitorem eſſe, ac proinde animalia ipſa ex non genitis generari. Verum quia putri ex vligine anguillas, bubulo ex fimo veſpas, carioſis in lignis teredines, aëreo ex madore

papiliones, formicas, locuſtas, cicadas, ſexcentaque id genus alia, Plinio, Ariſtotele, quin potius experientia ipſa teſtante, ſponte ſua enata comperio, reliquum mihi pænitus eſſe video, vt ea ipſe quoq. cęleſti quapiam vi producta fuiſſe cōcedam. Horum igitur viuentium vitæ expertem Patrem, Planetam illum omnium nobiliſſimum, Solem exiſtimarim; quo, vt nihil in hoc mundo vel aſpectu pulcrius, vel efficacitate potentius, vel vſu, & vtilitate copioſius; ita nec ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius. Qui mirabiliter ſalutarem, maxime vitalem, naturas omnes augentem, nutricantem, ſenſuq. afficientem calorem largitus, in abditiſſimos vſq. re-

ceſſus ſuo penetrans influxu, non terræ ſolum viſcera irrorans aurum, & gemmas progignit; ſed cunctas aquarum, & aeris regiones longe, lateq. perluſtrans, vniformem infundendo lucem, renouat, ſeruat, perficit, refouet, fęcundat, viuificatq. omnia. Qui deniq. hoc in Mundo eſt, quod in animali cor, vt rite rerum omnium mortalium Parens, & Altor nominetur. Quare propoſitum Aenigma hoc vno itidẽ Diſticho non inepte ſolui poſſe crediderim.

SOL FERVORE SVO QVOT SPONTE ANIMALCVLA GIGNIT?
DAT NATIS VITAM, QVA PATER IPSE CARET.

SYMPOSIACI

Griphi

SECVNDA SOLVTIO.

REm hanc, opinor, vniuerſam vnico abſoluã verbo, Auditores Inanimem hunc Patrẽ viuentes Filios procreantem, non monſtrum aliquod ex Africa recens allatum, non Noui Orbis prodigium nouum; ſed Ouum ipſum eſſe, in ſe quidem nequaquã

vi-

viuens; viuentium tamen pullorum quodammodo genitorem, cenſuerim. Hinc fortaſſe iucundiſſima illa inter non paucos, nec obſcuri nominis Phyſiologos orta quondam diſceptatio, Num Gallina, vel Ouum prius extiterit: licet enim ab hoc natã illam videamus; cum tamen efficiens cauſa ſuo ſit nobilior effectu, & inanimis animata præcellant, de Gallinę, deq. Oui antiquiore ortu acriter diſputabãt: ex hoc etiã factum putarim, vt de Ouo dixerint Griphologi,

Eſt animal, non eſt: intus ſtat vita, cibuſque:
Quid quod matre ſatum non fertur filius eius?

Ete-

Etenim qua ouum proprie eſt, vere animal nõ eſt; ſed qua animalis intus exoriẽtis vitello ſuo, & albumine cibus, vita, & Parẽs eſt, nõ niſi animal eſſe poſſe cenſetur. Quamobrem ſic ego propoſito reſponderem Ænigmati.

VIVENTEM PVLLVM VITÆ EXPERS PROCREAT OVVM;

AN NON IS NATVS, NON PATER ISTVD ERIT?

SYM-

SYMPOSIACI
Griphi

TERTIA SOLVTIO.

EGo vero non in Solem ſolum, non in Ouum tantum, Ænigmatis huius noſtri ſolutionem cadere non negarim; ſed Sanguini quoq. ſatis eam apte conuenire poſſe profiteor, Auditores. Quis enim neſcit, minime quidem viuentem eſſe ſanguinē, quippe qui nec peculiari eſt, ſibiq. propria præditus anima, cū ab interno non augeatur principio, & ad vitam neceſarijs careat inſtrumentis; nec toti cor-

pori

pori communis animę particeps, cum ſuis ille concluſus domicilijs, quaſi vaſculis quibuſdam, ſenſus expers; cum viuentibns animati corporis partibus nequaquam coaleſcat: at certe ex ſanguine Vitalem progigni Spiritũ, qui vitalem ab ipſo vitæ, cordis videlicet, ſinu vim hauriens, a qua vitalis ipſę dicitur, quaſi vitæ auctor eſt, & conſeruator, Cum enim animantium calor aſſidue diſſipetur, atque iacturam hanc aliunde reſarciri neceſſe ſit, idcirco prouida, & perpetuitatis auida natura, ex puro quædam, & defæcato ſanguine corpuſcula miræ tenuitatis, qui Spiritus nuncupantur (ſiue quod hominum effugiant obtutũ, ſiue quod veluti aura quædã ſuauiſſima mul-

ceant

ceant pulſent, & ſpirent) mirabiliter efformauit, vt & calorem toti impertiant corpori, & inſitũ inſtaurẽt aduentitio, ſimulq. mẽbris omnibus ad munia ſua obeunda vim ſingillatim conferant accomodatam. Hinc Spiritum animæ, corporiſq. vinculũ, quod vtrumq. conciliet, & coniungat, atq. adeo vitam ipſam tueatur, Philoſophorum nonnulli appellauère: Hinc etiam Stoici omnes, tantum abfuit, ne vitam Spiritui negarint, vt ipſiſſimam ipſum vitam, animamq. eſſe ſtatuerint. Quapropter Ænigmati ſic ſatis in præſentia facerem.

SPIRITVS E NOSTRO VITALIS SANGVINE PRODIT;

EN PATER, ET NATVS: VIVIT HIC; ILLE MINVS.

SYM-

SYMPOSIARCHVS Academiæ nomine,

LATA SENTENTIA,

Enodatorum omnium vltimum Principem inaugurat.

ACademici omnes vni vltimę, omnium optimæ Griphi Solutioni, vna & mente, & voce, aſſentiunt, acclamant, applaudunt. Aequum eſt, Iuſtum eſt, vt, qui merito omnium calculis omnium Victor habitus ſupremum in Aenigmatis Enodatio-

ne ſolertiæ locum, atq. eruditionis obtinuit, omnia quoque ſuæ promiſſa Victoriæ, ſuæ debita Virtuti præmia conſequatur. Quocirca, Bonum Factum, Vniuerſa hæc noſtra Academia, Darianam æmulata, ne dicam ſupergreſſa, Liberalitatem, ac Magnificentiam, Nouiſſimũ Aenigmatis Enodatorem, Nouũ Academiæ Principem inaugurat, Principem conſalutat, & à ſe ipſa, non ſecundum, vt à ſe Darius; ſed omnium Primum conſtituit, quem mox Academici feſtis, ac fauſtis ſuis excipient Gratulationibus.

AC-

ACCLAMATIO
Nouo Principi
A SYMPHONIACIS
Dicta.

Viuat annos, ſecla Viuat,
Mille PRINCEPS millies.

Quotquot anni, ſecla quotquot,
Quotquot vnquam tempora.

Quot profundit depluentes
Largus imber guttulas.
Viuat, etc.

Quot

Quot minuti fruſta perflans
Motat Eurus pulueris.
Quotquot, etc.
Quot nitentes cæca noctis
Vmbra luces contegit.
Viuat, etc.
Quot feroces tam benigna
Terra nutrit belluas.
Quotquot, etc.
Quot fugaces turbulentum
Aequor vndas efficit.
Viuat, etc.
Quot comantes vere primo
Sylua frondes iactitat.
Quotquot, etc.
Quot metentes ex opima
Meſſe ſpicas colligunt.
Viuat, etc.
Quot natantes ſalſa Ponti
Lympha piſces abluit.
Quotquot, etc.

Quot volantes orbe toto
Geſtat aër alites.
Viuat, etc.
Quot marinum fert arenas
Litus omne mobiles.
Quotquot, etc.
Quot tenellos delicata
Flora flores educat.
Viuat, etc.
Quot ſerenis nocte purus
Lucet aether ſtellulis.
Quotquot, etc.

ACA-

ACADEMICORVM
Nouum Principem
Conſalutantium

PRIMVS
Gratulatur, & inuitat ad gaudium.

GAudemus, geſtimus, gratamurq. gregatim
Gaudentum gremio genitum grandeſcere germem,
Gratantumq. gubernaclum geſtare gradatim.
Gaude gaudentum genitor, generoſe Gubernans:

Gra-

Gratabundorum Gnatorum gloria gaude.

Grandifices gaudens Gnatorum gaudia, gaude:

Gaude, grandeſcant genitoris gaudia, gaude:

Grandia gaudentũ gemmaſcãt gaudia, gaude:

Gemmea gaudentũ geminentur gaudia, gaude:

Grataq. gaudendo glomerentur gaudia, gaude.

Grex Gnatùm genitori gratificare; Gregemq.

Gnatorum Genitor grata grauitate guberna.

Florentem Fortunam, & Famam pollicetur.

F*Auſte fers: fauſte, fortunateque ferentur,*
Fortunatorum fortunatiſſime, faſces.
Fata fauent factis; facienda facillima fient,
Felici facie frontem, finemq. fouebunt,
Fatorumq. fidem firmabunt facta fidelem.
Florida Flora feret, Flos florentiſſime, flores;
Fæcundos Fæcundia, facundiſſime, fœtus;

Fors

Fors fortunatos fundet fauſtiſſima fructus;
Fœdere fatali facto, fuſe, fartimq. fauores
Flamine frugifero flabunt, firmeq. fauebunt.
Feſtiuè faſces ferto, formido faceſſat:
Felicem faſces facient, faſceſque ferentis,
Faſtorum folijs firmiſſima Fama feretur.

Victori longam vitam, ac valetudinem vouet.

VEniſti , vidiſti, viciſti, vnice Victor :
Viciſti, verax vt Vates, vera videndo :
Viciſti valida vi vĩ; virtute virili.
Vnanimes vna Victorem voce vocamus ;
Victorem victi veneramur : viue, valeq.
Vere vitalem valeas vt viuere vitam,

Vere

Vere vernanti valeaſque valere vigore.
Victoris viuant vires, Victoria viuat,
Victoris viuat virtus, Victoris vitaq. viuat.
Viuat, vt vlterius vincat, valeatque videre
Vicenis vicibus Violas, Vuaſq. virentes
Vicenas viciſſe vices, victaſque viciſſim.
Verum vix vitam vixiſſe videberis; vnde
Vſq. virens viue, vſq. vale, vota vltima vince.

Sympoſiaci Scirpi Solutorem ſalutans varijs laudat aſſimilationibus.

SPinoſum Sphyngis Scirpum, ſpectande ſolutor,
Scitè ſoluiſti. Salue ſtudioſe ſcabrorum,
Semper ſecretæ ſcrutator ſalſe Sophiæ,
Salue Sympoſij ſpes, ſplendentiſſime ſplendor,
Splendidior ſtellis, ſoliq. ſimillime Soli,
Salue ſolamen Sociorum, ſtrenue Samſon,

Sum-

Summis Scipiadis ſimilis, ſimiliſq. Sybillis.
Salue Sympoſij Salomon, ſuauiſſima Siren,
Sublimiq. Sodalitium ſermone ſerenans.
Salue ſolertis ſoboles, ſpecimenque Suadæ,
Sertum ſume ſagax, Sapientum ſume ſecures:
Sidera ſcande ſerus, ſexcentaque ſecla ſuperſtes.

Coronati Comitum Coryphæi laudes concelebrat.

COncertatorum Comitum certamine clauſo,
Communi, concordi, conſtantique catorum
Conſilio, conſenſu, complauſuque Catonum,
Commerito capiti Coryphæi cuncta coronam
Cedendam clamant: Comitum Coryphea cupita
Clarum cinge caput, conceſſa cinge corona:
Cinge (cateruatim clamabo) cinge capillos,

Com-

Comptas cinge comas, Comitum claríſſime claror.
Celſum cinge caput, cultis cantande Camænis,
Caſtalij cultor cultiſſime, Cynthie, collis.
Cinge comas, Comitum columen, conſtanſq. columna,
Compto colloquio cunctorum corda catenans.
Cinge caput, cygnorum commemorande caterua,
Cœleſtiq. choro Cherubim celebrande canentum.
Cinge comas, Comitum carorum care Chorage,
Conſpicuo cumulatim condecorande canore.
Conſurgant Cicerones, conſurgantq. canori
Cygni, conſurgat Clio, comiteſq. coæuæ,

Colloquijs, calamis, concentu, carmine, cultu,
Confeſtim, copioſe, compoſiteque coactis,
Coniunctim celebrent Coryphæum, claraq. celſi
Cuncta Coronato complaudant climata cæli.
Contendens cantum centum committere chartis
Carmina concupij culta cantare Camœna;
Cum crudum contra, contemnendũq. canorem,
Cantantiq. canam contraria carmina cordi,
Cruſmata coniungam citharis, cygniſq. cicadam?
Cordi conticeat cantandi clauſa cupido.

SEXTVS, ET VLTIMVS

Plauſum ſuadet.

PLauſibilis plauſu plaudatur
principe Princeps.
Plaudite præſtantes Proceres, Par-
naſſia proles.
Plaudite Pieridum patres, Pindique
patroni;
Plaudite Palladij, Phœbæa propago,
poëtæ:
Plaudite Pegaſides, plaudat Pim-
plęaq. pubes:
Plaudite Philologi, Philomusùm
plaude palæſtra:
Plaudant pagani, pęregrini, plebſq.
Penatum:
Plaudat præclaræ populus præconia
palmæ:

Plaudat propatulum propere pelaguſque, poluſq.
Plaudite publicitus, priuatim, plaudite paſſim:
Plauſores plauſus plaudenti plaudite plauſu.
Perge placere probis Princeps, probitate probari,
Perpetuoque potiri proſperitate perenni.
Parce, precor, pedibus, præfulgentiſſime Princeps,
Præduris, perplexis, pingui Pallade pactis;
Poſteritas penitus perfecta poëmata panget.

GRATIARVM ACTIONE

Academicum Sympoſium claudit.

CLariſſima promeritorũ meorum, quæ omnino nulla sũt, agnitio, ampliſſimus hic dignitatis gradus, ſolertiſſima Suffragatorum perſpicientia, cæterarumq. Academiarum exemplaria, nihil minus, quam nobiliſſimum hunc Academiæ noſtræ Principatum mihi deferendum præmonſtrabant. Meę hucuſq. inſcitiæ culpa meritam portendebat pænã; Sedis huiuſce Maieſtas, & Amplitudo, oculorum pro-

propemodum aciem, nedum obtinendi ſpem prorſus infringebat: & deniq. Academicorũ omnium digniſſima Imperio capita vniuerſæ mihi Academiæ Principem non niſi Optimum, Maximum, ac Perfectiſſimum fore pollicebantur. Verum, cum in ſummo hoc honoris gradu, in quo Academicorũ aptiſſimi collocandi eſſent, hodie me omniũ ineptiſſimum poſitum eſſe videam, vt in alijs huiuſmodi Sapientiæ palæſtris excellentiſſimam excellentiſſimorum Principum Creationem quam maxime venerabar, ita nunc pręſentẽ conſpicatus mirum in modum obſtupeſco. Quid hic ergo dicendum mihi putem, Auditores? dicam ne ſingularem illam in

Ami-

Amicos animi beneuolentiam, quæ vel acutos, rectoſq. oculos ſæpe tranſuerſos agit, effeciſſe, vt vel ſufragatorum ingenium ſuos hodie nequaquam ſit aſſecutum fines, vel certe beneficentia ſuos omnes prætergreſſa ſit? aſſeram ne Typographorum potius ingenioſiſſimā Artem ingenioſiſſime imitatos? vt enim hæc eminentiores inter typos, qui literarum characteres imprimunt, breuiores alias, depreſſioreſq. nonnullibi formas, non diſſimiles quidē primis; ſed nihilominus nihil omnino pingentes, ſapienter interijcit, vt ſpatioſius ij diſtinguantur, & clarius eluceſcāt: ſic etiā me ſuorum in Principum numerum cooptaſſe videntur Suffragatores, vt cæterorum præ me

ipſo

ipſo excellẽtius excelleret excellentia. Vt vt eſt;ne Suffragatorũ vota vana fiant, meum ijs obſecutum corpus locum hunc hic ſedendo, quem tamen exoſculari potius, quam occupare deberem, obumbrabit; ſed animus meus ſibi conſcius, ſuorũ ęquus arbiter meritorum, ad veſtros omnium pedes me ipſum omnium minimum abijciet. Quin etiam, cum hoc ego à Vobis omnibus acceptum referam, id Vobis etiam omnibus me debere non ingratus apertiſſime profiteor; & quò Gratiam gratius reſtituam, memetipſum Vobis totum cum Gratijs omnibus, quãtas quantas vnquam habere poſſim, libentiſſime mancipatum æternum addico, & conſecro.

CO-

CORONA
OBSIDIONALIS

Ob Eloquentiæ Arcem, & Exercitum ab Aduerſariorum obſidione liberatam

Nouo Academiæ Principi

DONATA.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.D.

IACOBVM PHILIPPVM

TOMASINVM

ÆMONIÆ

Epiſc. &c.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Præſul.

NVllius vnquam caput tam ambitioſe Coronam appetijt, quam mea hæc ipſius Corona Tuum vnius Caput expetit, Illuſtriſſime TOMASINE: qu inetiam coronæ omnes non tam ſuum ambiunt orbem, et circulum claudunt, quam vna hæc Tuam ambit vmbram, et præſidium præſtolatur. Nec, opinor, immerito: quis enim ignorat, quem, et quantum Virorum, ac Viraginum Literis, ac Sapientia præcellentium Exercitum, præſtantiſſimis Encomiorum Tuorũ voluminibus, communi omnium plauſu, vel ignorationis, vel obliuionis

uionis tenebris, et acerrima capitalium huiuſcemodi Hoſtium Obſidiore liberaueris, atq. in ampliſſimam Famę lucem, æternumq. gloriæ ſplendorem vindicaueris? Quamobrem, vt meum in ijs Nomen, quò Eloquentiæ, ac benignitatis Tuæ immortali fruerer beneficio, Tuo dignatus es Encomio, ita Gramineam Coronam, quam Obſidione Liberati Liberatori ſuo iuſte perſoluunt, quamque ego ipſe Tibi idcirco debeo, et ſuppliciter exhibeo, nequaquam dedignare; vt quod e meo non ingrato prodit animo, Tuo quoq. non ingratum accidat. Vale, & literis, ac literarum ſtudioſis fauere perge. Plac. Id. Ian. MDCL.

Aeternum Deditiſſ. Ser.
Petrus Franciſcus Paſſerinus.

ACA-

ACADEMIAE

FECIALIS

Bellum indicit Aduerſarijs, vt ab illorum Obſidione Eloquentiæ Arx, et Exercitus liberetur.

ELoquētiam potentiſſimā animorum Reginam varijs ęq. ac ingenioſiſſimis ſymbolorum inuentis celebrarunt olim antiquorum ſapientiſſimi: modo enim per dilatatam manum, exporrectamque palmam cum Zenone Stoicorum Principe, mo-

do per apes mellis opifices cum Theocrito, modo per pſitacos facundos humanæ vocis imitatores cum Aegyptijs, modo per Epiri fontem frigida inflammantem, & inflammata reſtinguentem cum Iſidoro, modo per Moly Herbam à Mercurio Vliſſi datam aduerſus veneficia omnia præſentiſſimum amuletum cum Homero, modo per linguam aureis traiectam catenis, quibus vincti, quò volet illa, pertrahantur auditores, cum Luciano, alias per tricipitem, triformemq. Chimæram cum Heſiodi interpretibus, alias per auream, fatalemq. Mercurij virgam cum Horatio, alias per eburneam Sphingem Hortenſio oratori à Verre donatam cum Plutarcho, alias

per

per Sirenas cum Pauſania, aliquando per Luſcinias cum Callimacho, aliquando per Iridem cum Heſiodo, aliquando per lacteum fontem cum Hieronymo, ſæpè per fulmen, ac flumen cum Ariſtophane, ac Platone, ſæpè per Nepenthes cum Gregorio Nazianzeno, ſæpe per molliſſimam ceram cum Cicerone, ſæpe per auream Anchoram, nonnunquam per Pantarbam mirabilẽ lapillum cum Philoſtrato, nonnunquam per diſploſos tonitrus, ac vehementiſſima fulgura, nonnunquam per lignum Parebum, nonnunquam per Elitropiam gemmã, crebro per nummos, crebro per electrũ, crebro per haſtatam Palladem, crebro per Herculis clauam, aliquando per Indo-

dorū dolia, aliquando per Gloſ
ſopetram, aliquando per aureū
& ferreum Indiæ fontem, frequē
ter per Panaceam, nec raro pe
bellicas omnes machinas Arci
expugnatrices, flexanimæ huius
Diſciplinę ſummam dignitatem,
pulcritudinem, ſuauitatem, copi-
am, vtilitatem, & potentiam mi-
rabiliter figurabāt. Verum eni-
muero quia nobiliſſimam hanc
facultatem per hæc tempora tot
Sophiſtarum argumentis, quaſi
hoſtilibus tormentis, oppugna-
tam, circumdatamq. intuemur,
eam noſtra hęc, Auditores, Aca-
demia (pace omnium dixerit)
munitiſſimæ quidem Arci, ſed
arctius, ac iniquius obſeſſę longe
ſimilimā arbitratur. Quis enim
circumquaq. inſultantes Aduer-
ſarios

ſarios non videat,& per inflationem buccarum, quaſi globorum exploſionem, ab illis non audiat Perfectam Rethorum orationem Melleum vocitari laqueum ex Diogene; Impudentiam vnicam Oratorum ducem proclamari: venenatas Artis huius illecebras appellari cum Ariſtophane; decretum Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Cõſulibus à Patribus Senatuſconſultum, Rhetores vti Romę ne eſſent: ab alijs multis Eloquentiam iure, ac merito circulatorias dictitari præſtigias, meretricularum fucum, vanitatis flabellum, nidum Superbiæ, Idolorum ſeruitutem, doli ſcientiam, victorioſam loquacitatem, diſertas fallacias, argutã malitiam, in poculo aureo peſti-

ferum virus, malitiæ ſtimulum, mendacij cathedram, & (cum molliſſime loquuntur) leuiculorum adoleſcentulorum, ne omnino nihil agant, occupationem tolerabilem? Quapropter fortes ipſos bellorum duces imitata, hodiernam ipſam lucem aut Arcis expugnatione, aut hoſtium expulſione, memorabilem futuram libere decernens, adeo oblatam ab oppugnantibus pugnã, quę ſecum, maxima vel victoria, vel clade, belli finem ferat, Arx ipſa non recuſat, vt illos potius, explicatis quodammodo, collatiſq. ſignis, iuſtum prouocet ad prælium, confligendiq. deſiderio omnium animi ſic ardere videantur, vt intra vallum vix queant contineri. Sed quid plura?

ra? ſtant in procinctu milites armati, vnus eſt omnium ardor, ſcintillant oculi, ſpirat in vultu fiduciæ permixtus horror, & nihil amplius omnino reliquum, niſi vt ſanguinolento iam propoſito vexillo, & inter lituorum concentum, tubarum clangorem, tympanorumq. ſtrepitum, argumentorum, ſeu melius æneorum tormentorum, hortibili circumtonante boatu, congreſſus ipſius, ac certaminis ſignum expectetur vtrinq., quod vt attentius audiatur ab omnibus, tacitus hic ipſe de more parumper obmuteſco.

ACADEMIAE
NOMINE

Academicis omnibus Victoriæ præmium proponitur.

BEllum iã Fecialis indixit Aduerſarijs; belli ego præmium Vobis edicam Academici. Romanis quidem Imperatoribus ſolemne fuit antiquitus ſub ipſum conſerendæ pugnæ tempus præliaturis ſpem victoriæ, Deoſque propitios oſtendere: ſuorum extollere virtutem, hoſtilem deprimere, pugnæ gloriam, partaq. de-

decora, fugæ ignominiam, damnaq; proponere, prędam deniq. & præmia, lene tormentum, dulce lenocinium, Militibus offerre, vt ab eiuſmodi concione militũ animi magis, ac magis accederentur ad pręlia, & vno propemodum ore, ac opere dictis fauerẽt, & cæptis. Sed quoniam ab Imperatoriæ auctoritatis amplitudine tàm procul ego abſũ, quàm vos omnes huiuſmodi adhortatione, quæ veſtra omnium ſumma fortitudo eſt; nequaquam indigetis: hoc vnum Academię nomine, quo nil maius exhibere poteſt, vniuerſis pollicebor. Qui, Eloquentiæ, inquam, Arcem, & Exercitum, oppugnantium obſidione liberauerit, eum (quod tanto operi nullum aliud præmi-
 um,

um, niſi honor, conuenientius reperiri poſſe videatur) non alio ab Academia munere,quã Academiæ ipſius Principatu, Obſidionali nimirum Corona, rite donandum: qua in Populi Romani maieſtate, prȩmijſq. glorię nulla vnquam, Plinio auctore, nobilior fuit: cȩteras enim omnes ſinguli, & Duces ipſi Militibus, aut aliquando Collegis dedère, vel ad ſummum eas in triumphis Senatus, & populus obtulit otioſus; obſidionalis nunquam, niſi in deſperatione ſuprema, contigit,nulli niſi ab vniuerſo exercitu ſeruato decreta: cæteras Imperatores donarunt, hãc ſolã milites Imperatori.quid erit autem hoc vno facinore, aut ad Eloquentiæ dignitatem tuen-

dam præſentius, aut ad Academiæ noſtrę gloriam extollendam potentius, aut ad ſupremam honorum maieſtatem obtinendam aptius, aut deniq. ad ſempiternam nominis claritudinem, famęque immortalitatẽ conſequendã excellentius, admirabilius, diuinius? plura dicerem, ſi timidos alloquerer, quibus verba virtutem adderent; ſed, quia cum ijs mihi res eſt, quibus verba virtutis opinionem vel adimunt, vel imminuunt, abunde dictum puto.

Academiæ Princeps futurus

Arcem ſe obſidione liberaturum ſpondet.

OMnes prorſus oppugnantiũ machinæ, ac tormenta, quibus hactenus inexpugnabilẽ Eloquentię Arcem, & Exercitum toties aggreſſi ſunt, præſtigiatoribus quidem, Pſeudorhetoribus, blateronibus, locutuleis, loquacibuſq. citerijs huiuſmodi, qui ſermonis tantum illecebras, phaleratas verborum pompas,

picturatæq; orationis lenocinia confectantur, grauem incutere possunt horrorem; sed verę, germanæq. Eloquentiæ, non secus ac inaniſſima puerorum terriculamenta, magnanimis obiecta Gygantibus, riſum, opinor, mouere debet, pluſquam Democriticum: ex plurimis enim in benedicendi facultatem Aduerſariorum maledictis Eloquentiſſimũ Herculem, Antæo ſuperato, in Lybia dormientem, à Pygmæis obſeſsũ videre mihi videor, qualem Philoſtratus feſtiuiſſime deſcribit: Circunſtetère, inquit, Heroèm Antæi necem vlturi pumiliones illi, nanorum homulolorum natio, qui formicarum inſtar terram habitantes cum gruibus tantum belligerare ſoliti, cum meſ-

meſſis aduènit, ſecuribus in ſpicas vti dicuntur, quod arbores eas arbitrentur: phalanx vna ſiniſtram, duæ dextram inuadunt, ſagittarij, & funditores pedes obſident, ingentes illius tibias non ſine admiratione proſpectantes: alij, inter quos Rex erat, caput oppugnaturi machinas huc omnes impellunt, ignem comę, oculis ſarculos, naribus, oriq. fores admouent, ne, cum captum caput erit, poſſit Hercules reſpirare. At ecce expergefactus erigitur Heros, ridenſque tantum ſibi imminere diſcrimen, partem cōtriuit, vt pulices; reliquos leonis congeſſit in pellem, ad Euriſthęū, ni fallor, reportaturus. Sed quorſum hæc Academici? Ingenue fatebor, quantum meus audeat

ani-

animus in præſentia. Quamquã ego virium mearũm omnium imbecillitate, atq. ignauia Pygmęis hodie tàm ſimilis futurus ſum, quàm oppugnatores Herculi ingenio, ac facundia pares; ficti tamen Herculis perſonam induere, omneſque omnium impetus, inſultuſq. hoſtium vnus ipſe pro Eloquentia ſuſtinere non recuſabo, ſi Vos veri Hercules, vt, quãtum Eloquentiæ, quantũue Aduerſariorum obiectis in poſterum tribuendum videatur, apertiſſimum fiat, fictas acriter pugnantium Pygmæorum vices gerere non dedignabimini. Video, nec diffiteor, prudentiſſimum Archidami dictum tempeſtiue hodierna luce in me caſurum, dum filium ſuum cum Athenienſibus in-

uueniliter, ac temere congredientem intuitus, ſapientiſſime pronunciauit: Aut viribus adde, aut animis adime: & Cherili me forte veſaniam imitaturum; ſed Vos ipſos eàdem tum mihi ſpero parſuros magnanimitate, quę Macedonis Alexandri fuit.

ELO-

ELOQVENTIÆ ARX
AB ADVERSARIIS OBSESSA

Emiſſo Exercitu, prouocatis Hoſtibus, atq. vel Victoriæ, vel Deditionis alea iacta,

Oppugnandas, & Propugnandas Publicas Proponit Propoſitiones.

Prima.

ELoquentiæ Arx arcium omnium fortiſſima, & ad ipſam Orbis Vniuerſi tranquillitatem ſumme neceſſaria, nullius ſe ſe hominum Arbitrio; ſed omnium ſibi ſubijcit voluntates.

Se-

Secunda.

Deus ipſe Arcis Conditor Adamo illam hominum Principi omnibus abſolutā numeris conceſſit; vniuerſis autem, ac ſingulis Adami Heredibus nonniſi prima Arcis fundamenta obuenère: quæ tamen multæ obſeruationis, longæq. ratiocinationis artificio in perfectam rurſus Arcem excreuerunt.

Tertia.

Mænium circuitus, quo nobiliſſima hæc Arx ad perſuadendū apta quæq. ſuppeditans definitur, Pentagonum referens, Inuentionis, Diſpoſitionis, Elocutionis,

nis, Memoriæ, ac Pronunciationis partibus, quaſi quinque lateribus obuallatur.

Quarta.

Duplex in Arcem aditus patet. Alter quidem latior & tritiór per alienum magiſterium; Alter vero ſecretior, & anguſtior per inuentionem propriam.

Quinta.

Triplex illius Armamentariũ: Probantium, Afficientium, & Conciliantium Argumentorum Loci, vnde in Aciem Orator Armatum, Ornatumque orationis educit exercitum.

Sexta.

Arcis prefectus perfectus Orator eſt, qui preter idoneas nature dotes, præter abſolutam illius adminiſtrande cognitionem, preter ampliſſimam exemplorum, ac exemplarium ſepellectilem, & vſum, fædus etiam cum bonis artibus omnib. inijt, vt auxiliaribus illarum Armis, cum opus fuerit, opportune iuuari poſſit.

Septima.

Arcis ſitus tam ſelectus, eius decor tam decorus, eius vis, ac vtilitas, eiuſdemq. dignitas, ac Maieſtas tanta omnino eſt, vt

Ar-

Arcis huius Præfectus Dei ipſius omnipotentis effigiem quodammodo prę ſe ferre videatur.

ELO-

PROPVGNATOR,

EX ACADEMIÆ DECRETO.

Peracto Certamine, parta Victoria, Arce, & Exercitu Obſidione liberatis,

OBSIDIONALI CORONA DONATVR.

BEne eſt, Beate eſt, Academici. Victis, profligatiſque hoſtibus, fortiſſimus Eloquentiæ propugnator obſeſſam Arcē feliciter ſeruauit. Poſt feliciſſimam victoriam quid noſtræ ſuper-

perſit Academiæ, niſi vt vnum omnium Victorem lætis omniũ acclamationibus exceptum, Obſidionali Corona meritiſſimo donatum, Vniuerſę Academię Principem conſtituat? Agite igitur, vna voce, omnium conſenſu, totius Academiæ nomine, obſeſſæ Eloqunetię Seruatorẽ ſalutemus, Principem proclamemus. Viciſti, Viciſti fortiſſime Academice, & ita viciſti, vt ſimul ex milite factus Imperator, Victoriã, & Coronam, Virtutis Tuę laudem, & Principatus noſtri Gloriam, reportaris. Quamobrem & Pręmium Tua Tibi Dignitate dignum concedimus, & Victoriæ tuæ Monimentum (Amoris noſtri Votum) Famæ Immortalitati Conſecramus.

ACADEMIAE NOMINE

HONORARIVM PATRIS COGNOMENTVM

NOVO PRINCIPI *Imponitur.*

VIctoris egregij Regium caput coronari decuit, Academici; Maiores enim noſtri, cũ Regiæ Virtutis ſatis apertã ex verbis non inuenirent explicationẽ, illius veluti pigmentum quoddam, & adumbrationem fecerũt Coronam, vt non aures tantum in oratione; ſed oculi quoq; ani-

marentur in ſilentio. Corona ſiquidem, & Cor ornans, & Corpus, plebeia capita faſtidiens, Principis tantummodo Verticis iure ſuo ambitioſa eſt. Verum, quia ſæpè etiam Victores eximios noua, & honorifica appellatione à ſuis Coronatos non ignoramus, Magni enim cognomentum Alexandro, Pompeio, paucisque ſimilibus tributum, Quinctus Dictator ab exercitu Patronus ſalutatus, aliaq. alijs fuere honoris ergo impoſita quondam cognomina, nouum quoq. Principem noſtrum nouo aliquo Honorario titulo, grati, & plaudentis animi cauſa, decorãdum vniuerſa ſanxit Academia. Inter omnia vero Heroum omniũ cognomenta illud ipſum Principi no-

ACADEMIAE

NOMINE

HONORARIVM **PATRIS** COGNOMENTVM

NOVO PRINCIPI

Imponitur.

VIctoris egregij Regium caput coronari decuit, Academici; Maiores enim noſtri, cũ Regiæ Virtutis ſatis apertã ex verbis non inuenirent explicationẽ, illius veluti pigmentum quoddam, & adumbrationem fecerũt Coronam, vt non aures tantum in oratione; ſed oculi quoq; ani-

marentur in ſilentio. Corona ſiquidem, & Cor ornans, & Corpus, plebeia capita faſtidiens, Principis tantummodo Verticis iure ſuo ambitioſa eſt. Verum, quia ſæpè etiam Victores eximios noua, & honorifica appellatione à ſuis Coronatos non ignoramus, Magni enim cognomentum Alexandro, Pompeio, paucisque ſimilibus tributum, Quinctus Dictator ab exercitu Patronus ſalutatus, aliaq. alijs fuere honoris ergo impoſita quondam cognomina, nouum quoq. Principem noſtrum nouo aliquo Honorario titulo, grati, & plaudentis animi cauſa, decorãdum vniuerſa ſanxit Academia. Inter omnia vero Heroum omniũ cognomenta illud ipſum Principi no-

noſtro cogruentiſſimum, Academicis optatiſſimum, Obſidionali Coronæ ſimillimum, quo Fabius ille quaquauerſum Maximus, Hannibale ex Italia pulſo, Roma obſidione liberata, re Romana cunctando reſtituta, pleno omnium ore, dum Obſidionali donaretur Corona, PATER eſt appellatus. Salue igitur Generoſiſſime Princeps, æternumq. viue Academiæ PATER. Ratũ, firmum, perpetuumque Tibi ſit apud omnes meritiſſimum Patris cognomentum. Feliciter actum eſt, Academici. plane amens eſto, qui PATREM iſtũ non amarit; ſtipes, qui non ſtupuerit; & vere illiberalis, qui verum Eloquentiæ Liberatorem non venerabitur.

PRIN-

PRINCEPS Academicis, & Auditoribus

GRATIAS AGIT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EA eſt, Academici, & Auditores ornatiſſimi, multiplicis huius veſtri in me beneficij amplitudo, vt me, non ad vllam Gratiarum Actionem; ſed ad ipſum omnino Silentium, manibus, pedibuſq. reluctantem redegerit. Silentium tamen eiuſmodi, quod nō ab ingrato beneficijs animo; ſed à beneficiorum immenſitate op-

oppreſſo proficiſcatur. Mutum hoc meum, vt ſpero, Gratiarum agēdarum genus, pro veſtra hac in me ipſum tam egregia, & Regia benignitate, non dedignabimini; mente enim, ac deſiderio, quātas vnquam pro viribus poſſum, ſtudioſiſſime Gratias habeo, & Gratiarum omnium eæ, opinor, excellentiſſimæ ſunt, quę ſentiendo copioſiores eſſe dignoſcuntur, quam vt illas ars vlla exprimere poſſit eloquendo.

LAV-

LAVREÆ
AB AVCTORE
In alma Vniuerſitate Placentina
CANDIDATIS
COLLATÆ.

Ad Reuerendiſs. D.
D. IO. BAPTISTAM
CALICEM
I.V. & S.Theol. Doct.Colleg. Canonicum Placent. S.Inquiſit. Conſultorem,

Et Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.D.
ALEXANDRI SCAPPII
Epiſcopi Placent. & Comit.
VICARIVM GENERALEM.

Digitized by Google

Reuer.^me Propręſul.

MIrabili omnino Diuinæ Sapientiæ nutu factum eſſe cenſes, Reuerẽdiſſime Vir, vt nemini prius, quam Tibi, inſignem Theologici Magiſterij Laureã contulerim, ne Tibi quiſpiam alius mei quodammodo Primogeniti Doctoris proprias præriperet Prærogatiuas. Quamobrcm Theologicas haſce Laureas publicam in lucem editurus, eaſq. alieni iuris facturus, niſi Tuas omnino faciam, iniuriam Tibi certe fecero, qui, vt prior in donis, ita maior in imperio. Cum ergo ſua Laureato Laurea debeatur, & ad Deuteronomij legem danda ſint Primogenitis duplicia, duas haſce Lau-

reas Tuas iam facio, immo Tuas eſſe iam fateor, meq. ipſum ſimul Tuum eſſe non inficior. Reliquum id vnũ eſt, quod vnum à Te viciſſim peto, vt Tua hæc tueri Tuum eſſe ſemper velis, & ſemper Valeas.

Placent. Id. Ian. MDCL.

Vnice Addictiſs. Ser.

Petrus Franciſcus Paſſerinus.

LAV-

LAVREA Theologica

IOANNI BAPTISTÆ CALICI I. V. D. Canonico Placentino, et S. Inquiſit. Conſultori Collata.

IVre optimo multi ſępe numero demirari ſolēt; Illuſtriſſime pręſul, Ampliſſimi Patres; & Auditores ornatiſſimi, cum nobis à natura ſciendi,diſcendiq. cupiditas ingenita ſit; cum in animis noſtris quaſi viſceribus,ſapientię ſemina includantur; & quidam

quaſi amoris huius, atq. ardoris lateant igniculi, quos non modo communis omnium Philoſophorum vox; ſed quotidiana ipſa teſtatur experientia, dum nos ipſos ad res cognoſcendas modo iucunde titillari, modo acriter, tanquam aculeo, pungi, ſtimularique ſentimus, cur nihilominus bonarum artium, ſcientiarumq. ſtudia langueant interdum, & ſomno quodam incuriæ conſopiantur.

Plutarchus eruditiſſimus Philoſophus paupertatem bonis artibus inimicam arbitratus, ipſammet tanti mali cauſam ſtatuit. *Paupertas*, inquit in Agidis vita, *cum in Republica inualeſcit, illiberalitatem, honeſtorumq. ſtudiorum intermiſſionem ſecum trahit*. Quare

re Alciatus ipſe pulcherrimo illo Emblemate, quo paupertatem ſummis ingenijs, ne proueħantur, ſumme obeſſe docet, adoleſcentem effingit, cuius ſiniſtra manus alarum ope ſurſum nitatur; dextera vero grauiſſimo alligata ſaxo deorſum mergatur, & exclamet,

Ingenio poteram ſuperas volitare per arces;
Me niſi paupertas inuida deprimeret.

vt propterea non literariæ famæ; ſed domeſticæ fami conſulere neceſſe ſit.

Tullius Romanę Rex Eloquẽtiæ diuitiarum cupiditatem, & copiam e contrario id eſſe putat, quod homines à labore, ac ſtudio deterret: iam enim non ironice

cum Horatio; ſed audenter, ac ſerio vbique proclamatur,

O ciues, ciues quærenda pecunia
primum eſt,
Virtus poſt nummos.

Martialis Epigrammatographorum ingenioſiſſimus, vt rationem reddat, cur hominum ſtudia, & ingenia inculta quodammodo iaceant, & turpi quodam quaſi veterno langueſcant, lepidiſſime, vt eidem moris eſt, nullos aſſerit eſſe Virgilios, quod nulli ſint Mæcenates.

Sint Mæcenates, nõ deerunt Flacce Marones.
Virgiliumq. tibi vel tua rura dabunt.

nam

Quis virtutem amplectitur ipſam,

Præ-

Præmia ſi tollis?
quid iuuat chartis impalleſcere, inſomnes traducere noctes, tot librorum volumina volutare, caput ſtudendo ſcalpere, vngues meditando rodere, veritatem per latebras, altiſſimoſq. receſſus inquirere, corpus curuare lectitando, dulciores vitæ annos incaſsũ abſumere, ætatem, quæ ſponte conſumitur, etiam per artem cõtinenter atterere, cum Virtus fortuna ſuperetur?

Siue Deus, ſeu fata ferant, ſeu noſtra voluntas;
Sunt miſeri, ingenijs qui nocuère ſuis.

Seneca ipſe Diſcentium arrogantiam, & Iuuenilis ingenij leuitatem huiuſce mali fomitem, ac originem ſuſpicatus, multos,

 ni-

niſi ſe iam perueniſſe putaſsēt,ad ſapientiam peruenturos fuiſſe ſapienter affirmat. Vix eniinuero ſemel, aut iterum pedem alterũ in gymnaſia contulère, cum illico multi ſibi ſcioli videntur: iam Sapientes, quod turpius eſt, haberi volunt: breuique æternam doctis, & doctrinis omnibus ſalutem dicunt, ne non modo barbati; ſed etiam caneſcentes in Magiſtrorum diſciplina conſeneſcere, ibiq. propemodum marceſcere videantur. Quaſi vero ad multam ętatem diſcere, & doceri Cato, Tullius, Ariſtoteles, alijq. quamplurimi ſuo non fecerint exemplo glorioſum.

Quid plura? Recentiorum aliqui auctam ingeniorum noſtrorum imbecillitatem dicunt; alij

co-

cognoſcendarum rerum ſegetem in immenſum abijſſe dolent; multi Artem longam, Vitam breuem conqueruntur; multi etiam animos noſtros per hæc tempora rei bellicæ cupidiores, quam literariæ ſtudioſiores vel factos, vel fictos atteſtantur, & ingeminant,

Pellitur e medio Sapientia, vi geritur res:
Heu male nũc artes miſeras hęc ſæcula tractant.

Dicam ipſe quoq. breuiſſime, quid ſentiam, Auditores. Otiũ ſcientiarum omnium hoſtem omnino pernicioſiſſimum pronuncio: quo fugato, ingenita ſcientiæ cupiditas cætera quæuis obuia facile fugabit; quo pręſente, perpetuo doctrinarum diſciplina decreſcat, & in extremum tandẽ

deuoluatur exitium, neceſſe eſt. Otia enim literario otio negotij plus faceſſunt, quam negotia.

Argumentorum omnium inſtar, Teſtium, & Exemplorum omnium exemplar habetote ingenioſiſſimũ noſtrũ hunc Theologicæ Laureę Cãdidatum Ioannem Baptiſtam Calicẽ, vti otiorum inimiciſſimum, ita diſciplinarum omnium amantiſſimum Virum. Qui miram genij, & ingenij ad omnia facti facilitatem nactus, & felicitatem, oĩa, ne ſibi ipſe deeſſet, doctrinarum genera mire percoluit, & Eloquentiæ, ac Philoſophiæ ſtudium, & ſtadium gnauiter emenſus, diu, noctuque, priuatim, & publice, tum vtriq. Iuri Bononiæ, tum Theologiæ Mediolani, celeberrimis totius

Ita-

Italiæ Gymnaſijs, plurimam plures per annos operam nauauit. Quare ſummo quidem iure, ſummoq. cum plauſu Ciuilem illi, Canonicamq. Lauream Bononia Studiorum mater impoſuit; ſed maiori omnino iure, maiorique cum plauſu Placentia noſtra Alumno ſuo Studiorum et Parēs, & Patria Cæleſtem, ac Diuinam concedet, vt vbi literarum initia feliciſſime auſpicatus eſt, ibi Scientiarum omnium Coronam, & Laurearum omnium ſummam glorioſiſſime conſequatur.

Aureo Tuo e Calice, doctiſsime Vir, ſemper omnibus expoſito, Humani, Sacri, Diuiniq. Iuris nectar, & ambroſiam pleno ore haurient vniuerſi, Tuoq. diſcent exemplo, Humanum ingenium

ſe-

ſecluſis otijs, ea omnia capere, quæ cupiat: ea omnia aſſequi, quæ ſequatur: eò volare, quò velit: ea poſſe, quæ ſibi poſcat, & proponat.

Vt ergo externa Dignitatis Inſignia internis animi Tui dotibus ęque reſpondeant, Theologica Doctorum ornamenta, præclaraq. tanti muneris ſymbola rite Tibi conferemus.

Liber iſte clauſus, mox apertus Tibi traditus, Theologicę Sapiētiæ theſaurus eſt, quem & Tuo in corde recondere, & alijs aperire diſcentibus, Tuo poteris arbitratu.

Quadratus Pileus Capiti Tuo impoſitus omnem Tibi in quatuor Orbis plagis docendi facultatem libere conceſſam demonſtrat. An-

Annulum dedimus,ne Equeſtri Romanorum ordine inferior habearis.

Complexum, & oſculum porrigimus, vt pacem cum omnibus habeamus, & diſcenſiones omnes componamus.

Cathedram deniq. iuſſus aſcendas, & ſedeas, vt cum Doctorum Sede Doctorum itidem priuilegia poſsidendo capias, capta diutiſsime poſsideas,& æternum tãdem cum Doctorum omnium Doctore,quod optamus,quod ſperamus, cælorum in Regno ſedeamus.

LAV-

LAVREA
Theologica
PET. PAVLO ROLANDO

Rectori, Præpoſito nuncupato, S. Domnini Placent. atque Congreg. Rect. Paroch. Archipresbytero

COLLATA.

APud omnes hominum nationes, inde vſq. ab omni antiquitatis memoria, conſtantiſſimi, probatiſſimiq. moris fuit, Illuſtriſſime Præſul, Ampliſſimi Pa-

Patres, Auditores vniuerſi, vt præcipuis, legitimis, & ſolemnibus quibuſdam in muneribus,& honoribus ſolemnia itidem nomina, & ſymbola, ſolemneſque ritus, ac cæremoniæ ſemper adhiberentur: tum ne magni momenti res perfunctorie factæ viderētur, tum vt per ea ſigna inſignes hominum animis admonitiones et clarius inſinuarentur, & firmius imprimerentur. Romani hac in re ad ſuperſtitionē vſq. diligentes Pileum Libertatis Inſigne ſeruis in manumiſſione dabant. in Nuptijs Sponſis claues dabantur à Maritis, quæ in Diuortio rurſus adimebantur. in militia militibus militare cingulum honoris ergo concedebatur, quod contra ignominiæ cauſa pri-

ua-

uabantur, vt incederent, fode-
rentq. diſcincti. Ingenuis adole-
ſcentibus Prætextam, nobilibus
viris Togam, & Equitibus ipſis
annulum exhibebant. Quid plu-
ra? Nos ipſi, tactis Sacroſanctis
Euangelijs, vel pectore, iuramus.
Quin ipſiſſima Ieſu Chriſti Spon-
ſa, Bonorum omnium Mater Ec-
cleſia, Diuino afflata Spiritu, quã
multas, quam ſanctas omnibus
in rebus ſtatas adhibet Precatio-
nes, Crucis ſigna, ſacros Ritus,
religioſas Cæremonias? Quidni
ergo Academicarum quoq. Lau-
rearum, & inſignium huiuſmodi
Dignitatum collatio ſua præ ſe
ferat Inſignia, ſua ſeruet Symbo-
la, ſua prębeat ornamenta? Man-
dat idipſum Deus Auditores:
Reddite, cui honorem, honorem. Sua-
det

det æquitas, vt digna dignis, & benemerentibus præmia rependantur: *Scimus bonas artes*, ait Symmachus, *honore nutriri, atq. hoc ſpecimen eſſe florentis Reipublicæ, vbi honor benemerentibus tribuitur.* Finis allicit, *Omnes* enim, teſte Tullio, *incendimur ad ſtudia gloria, cum honos alat artes*. Et denique Populorum, Imperatorum, Sanctiſſimorumq. Virorum exempla perſuadent. Apud Hebręos Rabbini, qui Doctorum loco erant, per manuum impoſitionem Sapientes declarabantur. Apud Græcos, qui Pythagoræ, Socratis, Platonis, & Ariſtotelis ſcholis præfuère, Sophi primum, tum Philoſophi vocabantur. Auguſtus Imperator Iuriſconſultis non omnibus temere; ſed, quibus me-

merito licuit, de iure reſpondendi facultatem fecit. Iuſtinianus quædam eis Appellationum, Titulorumq. ornamenta conceſſit. Lotharius Doctorũ Laureas conferendi poteſtatem, & modum vel primum inſtituit, vel perpetuum ſtatuit, & Eccleſia ipſa Vniuerſa non ſolũ Apoſtolos, & Prophetas, Euangeliſtas, ac Paſtores; ſed Doctores etiam gaudenter excipit, peculiariq. cultu veneratur: adeo vt Paulus ipſe ſe ipſum Doctorem Gentium appellarit.

Verum quidem eſt, neminem comparate ad Deum, neque Patrem, neq. Magiſtrum, & Doctorem aut habendum, aut appellandum eſſe; ne iſtos Honoris, & Amoris titulos illius honori, amorique præferamus: quo in ſenſu

di-

dictum eſt apud Matthæum, *Vos autē nolite vocari Rabbi, vnus enim eſt Magiſter veſter; omnes autem vos Fratres eſtis*. Verū enimuero, qui, vt Deo, vt Eccleſiæ, vt Reipublicæ melius inſeruiāt, Doctorum onera ſubeunt, & honores, næ illi procul dubio ſancte, & ſapienter agunt, Auditores.

Ecquis igitur ſtudioſiſſimum Candidatum noſtrū Petrū Paulum Rolandum dignis non efferat laudibus, meritiſque non dignetur honoribus, qui licet huſcuſq. ſemper Laureas commerere, quam ferre maluerit; ne ſuis tamen moribus morem potius gerere, quam Sapientum voluntati videretur, ita iam ſolidam veri Theologi dignitatem ſapienter expoſcit, vt hactenus nudū

ac inane Doctoris nomen contempſit? Licet enim ſuam omnẽ ab ineunte ætate bonis artibus operam impenderit, eoſq. humanioribus in literis, ac Eloquentia progreſſus fecerit, quos illius Orationes, & Poëmata magno cum plauſu excepta publice comprobarunt, & in Parmenſi Doctrinarum Vniuerſitate tum Philoſophici, tum Theologici ſtudij curſum, ac terminum glorioſe confecerit: licet, inquam, ingenij, doctrinæq. ſuę pręſtantiam ſæpe, ac ſæpius modo publicis in diſputationibus, modo menſtruis in collationibus (quas coram vigilantiſſimo, æque ac doctiſſimo Pontifice noſtro Scappio ſumma cum celebritate tã vtiliter haberi ſuſpicimus) difficillimos Theologiæ

Mo-

Moralis nodos aut alijs inneĉtendo, aut ab alijs conglobatos diſſoluendo,laudabiliter oſtenderit, virtutumque ſuarum omnibus in rebus ſpecioſa dederit ſpecimina tam Lauro, quam Cedro digniſſima; nihilominus ne Doĉtoris appellationem, quam Doĉtrinarum poſſeſſionem citius exoptaſſe, & Magiſtri nomen,quam Diſcipuli munus glorioſius ambiuiſſe videretur, Theologico in ſtudio diu quodammodo caneſcere, & conſeneſcere, quam Theologi ſibi Nomẽ aſciſcere maluit.

Eia igitur tandem aliquando benemerite, & emerite ſimul Theologe Laureã, qua Te Ampliſſimum hoc noſtrum Theologorum Collegium dignum duxit, & dixit,qua Te Illuſtriſſimus, ac Re-

Reuerendiſſimus Almæ Vniuerſitatis noſtræ Cancellarius donandum edixit, qua Te Ciuitas Vniuerſa merito decorandum prædixit, exultanter excipe, & Cathedram nactus, Cathedram exorna. Externa Doctorum Inſignia ęterna erunt Doctrinę, Virtutumq. tuarum indicia. Quamobrem, vt cum Alciato hac ipſa de re loquente loquar,

Reſtat, vt æternus genitor tua vota ſecundet,
Atque hæc felici ſidere facta velit.

Librum ergo in primis Tibi tum clauſum, tum apertum trado, vt merum Sapientiæ mel e libris libes; quid dicas, & doceas e libris libres; & populos, vt poteris, e libris liberes ab erroribus.

Do-

Doctorum Tiaram, quæ Corona Prudentum, & Diadema Sapieutum eſt, gaudenter impono, vt in poſterum, quam geras perſonam, ſapienter, ac ſemper intuearis.

Annulus aureus, Ingenuis olim attributus, ingenuitatis admonet: Teq. Sacroſanctæ Doctrinæ connubiali fœdere iunctum teſtatur.

Cathedram, Doctorum Sedē, aſcende, ne ædilitatem quodammodo ſine populi ſuffragio gerere videaris.

Pacis oſculum, & Charitatis amplexū offero, quibus Te Doctorem gratulor, Fratrem agnoſco, & fauſta precor vniuerſa.

SCHEDIASMATVM ACADEMICORVM

Pars Tertia

SYMBOLICA,

ET SYMBOLOGICA

Complectens.

Digitized by Google

KALENDARIVM
SYMBOLICVM,
ET SYLLABICVM

XII. DISTICHA COMPLECTENS,

Quorum ſingula demonſtrant

1. Cui Menſi Diſticha conueniant.
2. Quot Diebus ſinguli menſes conſtent.
3. Quot Feſtos dies contineant.
4. Quæ Feſtorum Nomina ſint.
5. Quo die celebrentur.
6. Quo deniq. Menſe ſingulæ Anni tempeſtates incipiant.

Ad Illuſtriſs. D. D.

CAROLVM ALOYSIVM

SCAPPIVM

SENATOREM

Bononienſem, &c.

Illuſtriſs. Senator.

Demetrio ſuo Athenienſes, Illuſtriſſime Senator, ad æternam tanti ducis memoriam, et gloriam, quot anni dies numerabant, tot ſtatuas ſtatuerunt, vt nulla per annum abiret dies, quę propriam non haberet ſtatuam, perpetuum cum honoris ornamētum, tum amoris monumentum. Eximijs in me Tuis benignitatis officijs, ac beneficijs grati ego animi non vicem; ſed vocem aliquam redditurus, Athenienſes audacter æmulatus, quot illi Demetrio ſuo amantiſſimo, totidē Tibi Domino meo benigniſſimo non ſtatuas, ſed ſyllabas dedico, vt quēadmodum ſingulis anni diebus ſingulæ reſpondent Calendarij ſyllabæ,

 ita

ita Tu non Demetrium, ſed Deum ipſum ſapienter imitatus tum ſingularem in me Tui memoriam, ac cultum benignus agnoſcas, tum pauperum minuta non dedignatus virium mearũ exilitati benignius ignoſcas. Obſcurum eſt alicubi meũ iſtud Calendariũ; ſed quonã clariore, Clariſs. Vir, eluceſceret in lumine, quã Tuo ſub nomine, quod illius lucet in limine? Tu .n. non modo Tuo in ſtemmate, animi Tui ſymbolo, cæruleum celas Cęlum, et Chriſtallinum condis candorem; ſed etiam Tua in luce lumina, Tuoq. in ſinu ſumma omnia complecteris. è ſumma namq. antiquiſſimæ, nobiliſſimæq. SCAPPIORVM Familiæ luce in lucem editus, clariſſimis prognatus Maioribus, ampliſſimis natus è parentibus, sũmis functus Patritiorum muneribus,

ſum-

ſummis auctus Senatorũ honoribus, ſummum auitę Tuę nobilitatis lumẽ Vitæ Tuæ meritis, & moribus, perpetuis veluti ſplendoribus, amplificas. Munuſculum igitur, quod peramanter obtuli, perhumaniter excipe, meq. ipſum, vt facis, fouere perge, ac protege, quod diutius vt facias, fac melius, vt voueo, in dies valeas, et diutiſſimè viuas.
Plac. Idib. Ian. MDCL.

Addictiſs. & Obſtrictiſs. Ser.
Petrus Franciſcus Paſſerinus.

LECTORIBVS AVCTOR

Sal. & Fel.

RIſum teneatis Amici. per quietẽ audire mihi viſus ſum, qui vix audito ſyllabici noſtri Calendarij nomine, vt potè exotica omnia adunco ſoliti ſuſpendere naſo, in me acriter exclamarent. O verè ſyllabicum, immo abecedarium & caput, & calendarium! ò nimiam tanti laboris, & temporis in re tam futili iacturam! quibus ego bilioſus homo dum pariter, vt par pari referrem, exclamãdo reſpondebam, ò verè pluſquam ſeſquipedalia maledicorum ampullariorum verba mera aëris verbera! ò nimios nouarum rerum omnium oſores iniquiſſime naſutiſſimos! maledicta maledi-

ctis

ctis cumulatè repenſurus: illico expergiſcor: ita mihi cum ſomnorinis hiſce phantaſmatis ſomnus ipſe Deorum innocētiſſimus agendum cenſuit; at verò iam mihi vobiſcum, vtpotè vigilanti cum amiciſſimis, longè aliter res erit; quando enim myſticā hanc noſtram Ephemeridem paucularum horarum ſucciſiuam opellā, æqui, bonique conſulentes, tam benignè intuemini, latentia Diſtichis myſteria patefaciam. Tot ea in primis conſtant ſyllabis, quot menſium ſinguli diebus. Feſtorum dierum primæ ſyllabæ ijs quæquæ in ſyllabis, quæ ſuis in menſe diebus reſpondent, grandioribus exaratæ litteris collocantur, vt ſuis omnes fixę locis faciliùs cognoſcantur, memorię-

que tenacius inhæreant, quibus nulla alia in eo Diſticho ſimilis ſyllaba reperitur, ne eiuſdem ſyllabę repetitio erroris anſam præberet. Diſtichorum ſingula ſui nomen Menſis incluſum habent; vt in quem illa conueniant, nullo negotio videri poſſit. Verborũ ſenſus aut anni per id tempus tempeſtatem, aut certè ad eruditionem, & pietatem apta continebit. Denique vt in ſyllabis numerandis ambiguitas vitetur, omnis hic Synalœphe, & Ecthlipſis vitatur. Cęterum quod in eis contortum, ac difficile erit, rei difficultas, quę manũ ad opus admouenti abundè patebit, excuſare poterit, &, quod diſſonũ, iucunda artificij nouitate, vt ſpero, compenſabitur. Valete.

IANVARIVS dies habet 31.

CIRCumagatur EPiſtola, primo ſtrenaque IANO:
ANTiquos SEquimur, modo PAVper cenſus abundet.

FESTA Ianuarij
Diſticho comprehenſa.

Die,	1. *CIRCumciſio Domini.*
&	6. *EPiphania Domini.*
Syl-	17. *ANTonij Abbatis.*
laba	20. *SEbaſtiani Martyris.*
	25. *PAVli Apoſt. Conuerſio.*

Epi-

que tenacius inhæreant, quibus nulla alia in eo Diſticho ſimilis ſyllaba reperitur, ne eiuſdem ſyllabę repetitio erroris anſam præberet. Diſtichorum ſingula ſui nomen Menſis incluſum habent, vt in quem illa conueniant, nullo negotio videri poſſit. Verborũ ſenſus aut anni per id tempus tempeſtatem, aut certè ad eruditionem, & pietatem apta continebit. Denique vt in ſyllabis numerandis ambiguitas vitetur, omnis hic Synalœphe, & Ecthlipſis vitatur. Cęterum quod in eis contortum, ac difficile erit, rei difficultas, quę manũ ad opus admouenti abundè patebit, excuſare poterit, &, quod diſſonũ, iucunda artificij nouitate, vt ſpero, compenſabitur. Valete.

IA-

IANVARIVS dies habet 31.

CIRCumagatur EPiſtola, primo ſtrenaque IANO:
ANTiquos SEquimur, modo PAVper cenſus abundet.

FESTA Ianuarij Diſticho comprehenſa.

Die,	1. *CIRCumciſio Domini.*
&	6. *EPiphania Domini.*
Syl-	17. *ANTonij Abbatis.*
laba	20. *SEbaſtiani Martyris.*
	25. *PAVli Apoſt. Conuerſio.*

Epi-

Epiſtola) quia ineunte anno boni ominis gratia Amicis ſalutem dicere, & abſentibus literas dare ſolemus.

Primo Iano) i. ſub principium Ianuarij, vt primis labris, primo Vere, &c.

Strenaq.) *Nomen*, ait Symmachus Epiſt. 35. lib. 10. *indicio eſt, viris ſtrenuis hæc conuenire ob virtutem*.

Antiquos ſequimur) *Kalendas*, inquit idẽ Symmach. ibid. epiſt. 27. *Anni Auſpices, quibus menſiũ recurſus aperitur, impertiendis Strenis dicauit antiquitas*.

FE-

FEBRVARIVS dies habet 28.

ImPVRi perAGant, ad id APtus menſis habetur,
FEBRVA: CONducens hoc (claMAT Virgo) ſuaſi.

FESTA Februarij
Diſticho comprehenſa.

Die,	1. *PVRificatio B.M.V.*
&	5. *AGathæ Virg. et Mart.*
Syl-	9. *APolloniæ Virg. et Mart.*
laba	19. *CONradi Confalon. Plac.*
	24. *MATthiæ Apoſt.*

Pe-

Februa) Februum Sabinorum lingua Purgamentum dicebatur, & à Februis Februarius appellatus eſt.

Impuri peragant) nam Februa, quibus malefactorum conſcientię luſtrari, deleriq. peccata credebantur, hoc tempore celebrabãtur. Ouid. Faſt. 2.

Virgo) i. Maria Deipara, quę poſtridie Cal. huius menſis templũ ingreſſa rite luſtrari voluit, etſi nec illuſtrius quicquam ipſa fuit, nec purius, vt nos ad idem ſuo conduceret exemplo.

Suaſi) Diſſyllabum hoc loco eſt, & verſus Spondaicus; ſed biſſextili anno triſyllabum fit, &, vt anno dies, ita verſui ſyllaba ſuperadditur, & tum verſus deſinit eſſe Spondaicus.

MAR-

MARTIVS dies habet 31.

MARS reuoCAS ver: nix AQVeis ſugit impigra plantis,
Vt maIOra BENignior ANNus commoda præſtet.

FESTA Martij Diſticho comprehenſa.

Die,	4. *CASimiri Confeſſ.*
&	7. *AQVinat.Th.Doct.Ang.*
Syl-	19. *IOſephi Sponſi Mariæ V.*
laba	21. *BENedicti Abb.*
	25. *ANNunciatio B.M.V.*

Reuocas ver) quia Martio menſe trimeſtre veris tempus reuocatur, vt Aſtronomorum ſententiam ſequamur, quam docet Clauius Comment. in cap. 2. ſphær. cum Sole ingrediente ſignum Arietis incipiat ver.

Nix fugit) quia ex Virgilio 1. Georg.

Vere nouo, gelidus canis, quum montibus humor
Soluitur, &c.

Benignior) quia ex Ouidio 1. Faſt.

Tunc blandi ſoles, &c.

APRI-

APRILIS habet dies 30.

Quam FRAgilis florum conſtantia,
LEnis APRILIS,
Quos florere, videſque GEmens
MARCeſcere PEr SE!

FESTA Aprilis
Diſticho comprehenſa.

Die, 2. *FRAnciſci de Paula.*
& 10. *LEonis Magni Papæ.*
Sil- 23. *GEorgij Martyris.*
laba 25. *MARCi Euangeliſtæ.*
29. *PEtri Martyris.*
30. *SEnenſis Catarinæ Virg.*

Fra-

Fragilis) quia, vt florentiſſimus Elegantiarum, & Gratiarũ, quin etiam Floræ ipſius Auctor Io. Baptiſta Ferrarius floride dixit in ſua Aetate Florea, *Fragile Floris decus* eſt, & *Fugaciſſima Florum formoſitas*.

Marceſcére) quia flos non modo cito perit, nam

Sole oriente oritur, ſole cadente cadit;

ſed ſępe alios etiam perimit, cum *multi crebris floribus perfuſi, eorum copia expirarint*, quod me nuper ex Barthio docuit Eruditiſſimus, & elegãtiſſim⁹ Vir Angelicus Aproſius, alias Scipio Glareanus, in ſuo Scuto Rinaldi cap. 19.

MAIVS habet dies 31.

PHILtrum CRVx; MOriens pere-
GRE remanentibus illam
Obtulit, vt redament, Chriſtus;
NEc MAIVS habebat.

FESTA Maij Diſticho comprehenſa.

Die,	1. *PHILippi, & Iacob. Ap.*
&	3. *CRVcis Inuentio.*
Syl-	4. *MOnychæ Matr. S. Aug.*
laba	9. *GREgorij Nazianzeni.*
	16. *Philippi NErij Congreg. Oratorij Fundat.*

Phil-

Philtrum) eſt quicquid alteri co animo datur, vt eum ad noſtri amorem inducamus. Crux autem Chriſti Philtrum eſt, quia ea ad Chriſtum redamandum nos inuitat, qui prior dilexit nos.

Obtulit) quia ex Ambroſ. ſerm. de Paſs. Author pietatis in Cruce pendens teſtamentum condidit ſingulis pietatis opera diſtribuens: Apoſtolis perſecutionẽ, Iudæis corpus, Patri Spiritum, Virgini Paranymphum, Latroni Paradiſum, Peccatori Infernum, Chriſtianis verè pœnitentibus Crucem commendauit.

Nec maius) quia *vile præ Cruce aurum eſt*, ex doctiſſimo Nouarino in Vmbra Virginea lib. 4. cap. 49.

IV-

IVNIVS habet dies 30.

IVNIVS arſit, in igne videBAR; at ANTe caloris
Vim PROmet quALem? maIOr vis vlla rePErta?

FESTA Iunij Diſticho comprehenſa.

Die, & Syl-laba

11. *BARnabæ Apoſt.*
13. *Antonij de Padua.*
19. *PROtaſ. et Geruaſ. MM.*
22. *ALoysij Gonzagę Soc. Ieſ.*
24. *IOannis Bapt. Natiuit.*
29. *PEtri, & Pauli Apoſt.*

Iu.

Iunius arſit) Aeſtatis feruor indicatur, nam æſtiuum trimeſtre hoc menſe inchoatur.

Ante) pro antea, ſic Virgil. Aegl. 1.

Ante leues ergo paſcentur in æthere cerui, &c.

Vim promet) quia adulta, & virili æſtate fortior illius feruor eſſe ſolet.

Maior) nam ex Ouid. 15. Metam.

Tranſit in æſtatem poſt ver robuſtior annus,
Fitq. valens iuuenis, neq. enim robuſtior ętas,
Vlla nec vberior, nec, quæ magis ardeat, vlla eſt.

IV-

IVLIVS dies habet 31.

QuodVIS imperium tenuit, cumulúmquè BONorum
IVLIVS, inde MAGis ſe IACtANt quotquot ab illo.

FESTA Iulij Diſticho comprehenſa.

Die,	2. *VISitatio B.V. ad Heliſ.*
&	14. *BONauen.Doct.et Card.*
Syl-	22. *MAGdalenæ Mariæ.*
laba	25. *IACobi Apoſt.*
	26. *ANnæ Matris B.V.M.*
	31. *LOyolę, i. Ignatij S.I.Fun.*

Ab illo) i. a Iulio, id quod de Quinctili menſe dictum videtur, qui a Iulio Cęſare tum nato Iulius dictus felici nomine, ac omine gloriatur, *Nonnulli enim*, ait Cauſſinus de Eloquent. l. 4. c. 39. *curioſius notarunt fatalem quendam nominum cum rebus conſēſum. Duo Attyes illuſtres fuerunt, vterq. ab apro interfectus eſt. Cæſares, quibus Caij prænomen fuit, ferro periere,* &c. ſic eloquentiſſime nuper, ac ingenioſiſſime luſit Doctiſſimus Vir Hortēſius Pallauicinus in ſuis Auſtr. Cæſarib. *Tu*, inquit, *Tua, Tuorumque gloria, cui nomen ipſum MARIÆ ANNÆ imperium, & gratias loquens, non ſolum pro præſagio; ſed & pro hiſtoria, & panegirico eſt, &c.*

AV-

AVGVSTVS dies habet 31.

PERbreue DOgma TRAham: tibi
LAVs AVGVSTIOR ASTRO,
Veſte ruBER quod ſol es BARtho-
lomæe DECora.

FESTA Auguſti Diſticho comprehenſa.

Die, & Syl-laba

1. *PEtri ad Vincula.*
4. *DOminici confeſſoris.*
5. *MAriæ ad Niues.*
6. *TRAnsfiguratio Domini.*
9. *LAVrentij Martyris.*
15. *ASſumptio B. M. V.*
16. *ROchi Confeſſoris.*
20. *BERnardi Abbatis.*
24. *BARtholomæi Apoſt.*
29. *DECollatio Io. Baptiſtæ.*

N 2 *Dog-*

Dogma traham) i. colligam hãc breuem ſententiam, Quò difficilior victoria, eò maior gloria.

Auguſtior aſtro) i. Sole ſplẽdidior, quia *Fulgebunt iuſti, ſicut ſol, in regno Patris eorum*. Matth. 3.

Veſte) i. pelle, quæ D. Bartholomæo adhuc viuo crudeliter detracta.

Ruber) i. cruentus, & rubicunbus ob excoriationem Martyris à Carnifice factam.

Decora) i. purpurea, regali, & Principe digna, quia non murice; ſed Apoſtoli ſanguine tincta.

SE-

SEPTEMBER dies habet 30.

Fructibus autumnum vix NATe
TOt impiger EXples
SEPTEMBER, quot aMAT
MAVors feritatis aMICos.

FESTA Septembris
Diſticho comprehenſa.

Die,	8. *NATiuitas B. M. V.*
&	10. *TOlentinatis Nicolai.*
Syl	14. *EXaltatio S. Crucis.*
laba	21. *MATthæi Ap. & Euang.*
	22. *MAVritij, & Soc. MM.*
	24. *MIChaëlis Arch. Dedic.*

Fructibus) quia September Autumnalis mẽſis eſt, ac proinde nos magna fructuum copia locupletare ſolet.

Mauors) i. Mars per epentheſim, licet alij Martem quaſi Mauortem per ſyncopen dictum velint. Mamers à Sabinis vocabatur, & Gradiuus etiã à gradiendo, & ſerpendo dictus eſt, ideoq. Marti Gramen ſacrum erat, quia ex Gramine ortus credebatur, vel quia Gramẽ ex humano cruore procreatur, vel denique quia Gramen *viuax, & inexpugnabile* dicitur, quod Marti conuenit, vt optime tradit Thuilius Mariæmõtanus in Embl. 26. Alciat. &c.

Quod amat) Mars enim Martiales, & Bellicoſus bellicoſos amat vniuerſos.

OCTOBER habet dies 31.

Otia FRANge pedū modulis OCTOBRIA TExtis,
Et LVCra rus VRbana dabit; Pœnas SInprolem.

FESTA Octobris Diſticho comprehenſa.

Die, 4. *FRANciſci Aſſiſiatis.*
& 15. *TEreſiæ Virg.*
Syl- 18. *LVCæ Euangeliſtæ.*
laba 21. *VRſulæ, & Soc. VV. & MM.*
28. *Simonis, & Iudæ Apoſt.*

Otia) i. Vacationes autumnales.

Frange) Miſce,& tempera otia leuiuſculis humaniorum literarũ negotijs, ne aut ingenium graui, & aſſiduo labore nimium laſſeſcat, aut nimio prorſus otio torpeat, & hebeſcat.

Pedum modulis) carmina texendo, & amæniores muſas excolendo.

Vrbana lucra) i. progreſſus Academicos, dum grauioribus ſtudijs operam damus.

Rus) i. rureſtre otium, vacationum enim tempore, vt moris eſt, ab Academijs vrbanis ad otiandum foras exitur.

NO-

NOVEMBER dies habet 30.

SAt, DEme CARa tibi, tegeris
MARtine NOVEMBRIS
Lux, ob id vt PRÆ te nil duCAT
ſideratitAN.

FESTA Nouembris
Diſticho comprehenſa.

Die, 1. *SAnctorum Omnium.*
& 2. *DEfunctorum Commemoratio.*
Syllaba 4. *GARoli Archiep. Mediol.*
11. *MARtini Epiſc. Turon.*
21. *PRÆſentatio B. M. V.*
25. *CAThar inæ V. & Mart.*
30. *ANdreæ Apoſtoli.*

Deme cara) i. abſcide tibi pallij tui partem, licet ea tibi cara ſit, vt ea pauperem induas.

Sat tegeris) i. adhuc altera diſciſſi pallij pars te ſatis operit.

Nouembris lux) quia dies Feſtus D. Martino ſacer vndecimũ huius Menſis diem illuſtrãs, Menſem ipſum exornat, ac ſplendidiorem facit.

Ob id) i. dum, vt inopi conſuleres, te ipſum ſpoliaſti, factus es tam nobilis, ac illuſtris, vt ſtellis, & Sole ipſo ſpecioſior, ac pretioſior euaſeris. videatur in hanc rem Pulcherrimum doctiſſimi, ac diſertiſſimi P. Maſculi Encomium tom. 1. die 11. Nouemb.

DE-

DECEMBER dies habet 31.

NeXA gelu quoNIAM, CONGreta-
que barba DECEMBRI.
Mi tuus his THOrax vtuNAm
STEt, IOb, IN abysSIs.

FESTA Decembris
Diſticho comprehenſa,

Die,	2. *XAuerij Frãciſci Ind. Ap.*
&	6. *NIcolai Epiſc. & Conſ.*
Syl-	7. *AMbroſij Epiſc. & Doct.*
laba	8. *CONCeptio B. V. M.*
	21. *THOmæ Apoſtoli.*
	25. *NAtiuitas Ieſu Chriſti.*
	26. *STEphani Protomart.*
	27. *IOannis Apoſt. & Euang.*
	28. *INnocentium Mart.*
	31. *SIlueſtri Papæ, & Conſ.*

Nexa gelu &c.) quia December barbam ipſam habet imbre madidam, niue candidam, & glacie gelidam, quę tempeſtatis hybernæ pręcipua indicia ſunt.

Mi tuus &c.) i. vtinam, Sanctiſſime Iob, thorax Patientiæ tuæ mihi quoq. præſto ſit in his ærumnarum abyſſis, ac temporis intemperie, vt armis tuis armatus aduerſa omnia patienter perferã. ſua enim habent Chriſti milites Arma, & Præſidium, quę Copioſiſſime, ac Eloquentiſſime, vt cętera ſolet omnia, in ſuo Præſidio Romano ſumma cum eruditione deſcribit Io. Petrus Creſcentius, *Quo*, vt *Corona Nobilitatis Italiæ*, & *Amphitheatrum* ipſum *Romanũ* iam nunc toti teſtantur Orbi, *non ingenioſior, & facundior alter.*

SPHINX

SPHINX
IOCO-SERIA,
SIVE
DIDECASTICHON

Abecedariogrammaticomuſico-
poëticogeorgicarchitectonica-
rithmeticogeometrichiero-
glyphicoiuridicophilo-
ſophicotheologi-
cum.

Ad Illuſtriſſimum D.
D. BERNARDVM
MORANDVM
Patritium Genuenſem, Nobi-
lem Placentinum, Acad.
Incognitum, &c.

Illuſtriſſime D.

Monſtra ipſa monſtrari volunt, Eruditiſs. Morande, & publica cum luce propriam appetunt libertatem. Meā hāc Sphingem, vt ſatis eius voluntati facerem, publice manumiſi; ſed, vt in eam amori meo morem gererem, non ſine Patrono dimiſi. Quem vero Sphingi Iocoſeriæ diligentiorē deligerem in Patronum, quam Te ipſum, qui

Carmine, ſeu proſa, luſus, ſeu
ſeria ſcribas,

ſemper in præclariſſimis omnibus Ingenij, Doctrinæq. Tuæ monumentis, ſed præcipue in Roſalinda,

Omne feres punctum, qui miſces vtile dulci?

Quam-

Quamobrem, vt Tua illa felicis Ingenij fæcunditas, & ampliſſimę Eruditionis amęnitas hoc ipſum Tibi cumulatiſſime præſtant, ita ſingularis Ingenuitatis humanitas Tuũ Sphingi Patrocinium pollicetur. Vale, & me, quod facis, amare perge.

Plac. Id. Ian. MDCL.

Vere Addictiſs. Ser.

Petrus Franciſcus Paſſerinus.

SPHINX

SPHINX

IOCO-SERIA.

QVingentos, & nonaginta quinque Latinos
Martis, & Eumenidum concordi fronte ſequente,
Integra continuo cum nec vox ipſa ſuperſit,
Pronte carens ſuccedis Epee Simonidis Heros:
Mox ego ponè ſequor bis binis caſibus ictus,
Quatuor & demptis, ſexcentum immobilis vrget
Sphæra, cui eſt vbiuis centrum, nec circulus vſquam,
Hāc id, mus cuius nota, me pro puppe repoſto:
Tum per me ſulcum claudunt, renouantq. ſecundum

Te duce dextrorſum pergendo more Latino:
Tertia mox roſonat vox, quam ſchola muſica format,
Longaq. vindictæ; ſed decollata cupido.
Carbilij inuētū facit, vt preſētia tm̄,
Quod ſequitur, doceat; ſine quo ventura doceret.
En ſine fine tibi mel, et arculus abſque ſagitta:
En tot, quot medio vngue introrſum læua plicato,
Fortior & quinto innuit: ecce ſecunda ſecundæ
Pars, Delatorumq. nota, Archifabriq. libella,
Cui centum è Græcis drachmarum pondus adhæret,
Finis enim rerum omniū apex tandem omnia claudit.

SPHIN-

SPHINGIS IOCO-SERIÆ Nodi Enodati.

MVltiplex eſt, & multiceps, immo centuplex, & centiceps propemodum Sphingis huius Ænigma, vt ex illius Inſcriptione, & Didecaſtichi Epitheto ex plurimis nominibus compoſito non obſcure cognoſci poteſt. illud in vniuersū quodammodo dici poteſt, Quot verba, tot Ænigmata; ſingula è ſingulis difficultatum fōtibus eruta, vt vnaquæq. Ænigmatis particula noua, peculiariq. indigeat expoſitione. Luditur ſæpe, ac ſæpius in verbis; ſed verborum ſenſus

tam ſerius eſt, vt nil grauius dici queat, & non immerito Sphingẽ Iocoſeriam dixerimus. Nouam nominum, & epithetorum huiuſmodi compoſitionem non demirabitur, qui Franciſci Suuertij Viri in primis eruditi *Epitaphia Iocoſeria* inſcripta animaduerterit, & apud Plautum, ac Lucillium *Nugipolyloquides*, *Argentiextenebronides*, *Hippocampelephantocamelus*, & alia ſimilia legerit, qui omnes Lepidum illud Ariſtophanicum è partibus duodetriginta conflatum ęmulati ſunt, vt optime tradit Gulielmus Bailius de Græcorum accentibus, cui adiungi poteſt Ioſephus Scaliger in ſuis in Varronem Coniectaneis, qui Hegeſandri veteris poëtæ in Sophiſtas Epigramma ſic exprimere

ten-

tentauit.

Silonicaperõnes, vibriſſaſperomenti,
Manticobarbicolæ, exterebropatinæ,
Planipedatquelucernitui, ſuffarcinamicti,
Noctilatentiuori, noctidoloſtudij,
Pullipremoplagij, ſutelocaptiotricæ,
Rumigeraucupidæ, Nugicanoricrepi.
Quingentos, & nonaginta qninque Latinos, &c.

Quid ſint tot hi Latini, quos ſola Martis, & Eumenidum frons inſequitur, diuinabit, qui Numerorum Notas, ſeu Numerales Literas à Romanis vſitatas didicerit; ex Paulo enim Manutio, & Priſciano, qui hæc fuſius perſecuti ſunt, I vnum, V quinque, X decem, L quinquaginta, C centum,

tum, D quingentos, & M mille deſignabat, quod nos ipſi quoq. paſſim vſurpamus. Hinc Chronographica, ſeu Chronologica dicuntur quæcumq. ex numeralibus hiſce literis annorum numerum, quem quiſq. voluerit, verbis ipſis incluſum indicant, quale eſt Io. Baptiſtæ Spadij Ord. Pręd. eruditiſſimi Viri, Eximijq. operoſiſſimorum huiuſmodi operum Artificis Chronodiſtichon de obitu Thomę Turci eiuſdem Ord. Magiſtri Generalis.

quI fVIt In terrIs VIrtVte InsIgnIs; In aſtra
tendIt Iter MerItIs tVrCVs ab orbe graVIs.

nec non Chronographicum Præconium, quod de FRANCISCA NICELLA tum Generis, tum Vir-

Virtutum omnium ſplendoribus Illuſtriſſima Heroina (cui poſtea religioſo cum Habitu religioſiſſimum VIOLÆ MARIÆ nomen inditum eſt) sũma cum celebritate Placentiæ Ciſtercienſium D. Franchę Monaſterium, & Ordinem ingrediente nuper ego ipſe pro tempore; ſed ex tempore luſi, vt inter Applauſus variorum Auctorum tunc editos videre eſt pag. 31. & 32. per quingentos igitur, & nonaginta quinque Latinos Sphinx intelligẽdas indicat notas illas, ſeu numerales literas, quæ numerum iſtum Latinorũ more conficiunt. Quare D nobis erit loco quingentorum, & V pro quinque; ſed quonam modo nonaginta deſignabuntur? vt X ante L, vel C decẽ

de-

demit inſequenti, maioriq. numero, & tum XL quadraginta, XC vero nonaginta, ita VC nonaginta quinque ſignificabunt, cum etiam V ante C ex centenario quinarium tollat. Hinc aperte conſtat Latinos hoſce quingẽtos,& nonaginta quinq. nil aliud eſſe, quam tres haſce literas Alphabeti Latini DVC, Græci enim ipſi quoque Alphabeti ſui characteribus; ſed longe ſecus, ac Latini, pro numerorum notis vtuntur, quod, cum nihil in hanc rem, hic recenſere ſuperuacaneũ puto. Tandem ergo, vt clariſſime patet, primus iſte, atq. integer Sphingis noſtræ verſus nihil aliud,quam breuem hanc voculam DVC deſignat, ſicuti ex totoDidecaſticho Diſtichon vni tan-

tantum, quod demum omnibus planum fiet, eruemus: concordat autem mirum in modum cum primo iſto Sphingis noſtræ nodo nodus ille ſatis notus, DVX inſcriptus.

Qui de Quingentis, de Quinq. Decemq. fit vnus,
Ille meis precibus dignum poterit dare manus.

Martis, & Eumenidũ concordi fronte ſequente)

Quò longior fuit Primi nodi enodatio, eò breuior erit Secundæ hui⁹ difficultatis explicatio. Martis, & Eumenidum frons hoc in loco nil aliud eſt, qnam prima vocum harum *Martis*, & *Eumenidum* pars, nimium prima nominum ipſorum elementa, M, & E, quæ idcirco concordia dicuntur,

O quod

quod ambo vnam in ſyllabam ex ſeſe coaleſcant. Sic Iulius Cęſar Scaliger in Logogriphis primam vocis *Ouis* particulam, ſeu literam, caput apellauit.

Imbellis tota eſt; caput exime, vis erit illi.

ſi enim à verbo *Ouis* O detraxeris, remanet tibi *Vis*.

Integra continuo cum nec vox ipſa ſuperſit)

Tertius iſte nodus facile ſoluitur, ſi animaduertatur dictionem illã *Nec* hic nihil ſignificare, & hunc eſſe verſus huius ſenſum: cum, poſt bina illa verba DVC ME nuper expreſſa, vox ipſa NEC integra tertio remaneat loco,

Fronte carens ſuccedis Epee Simonidis Heros)

Quis ſit Héros iſte, qui ſine fronte

te quartam occupat ſedem poſt tertiam dictionem *Nec*, eruditiſſimus Cauſſinus in ſuo Polyhiſt. Symbolic. lib.7.cap.15.non obſcure innuit his verbis. *Simonides, cum in Carthæa degeret Cei inſulę oppido, agendi, canendiq. choros rationem docuit, ſchola procul a mari ſita in vrbis ſuperiore parte, iuxta templum Apollinis; aquam vero tũc petebat ex inferiore vrbis regione, aduehente aſino, quem Epeum appellabat, quod Epeus Heros ſimiliter diceretur Atridis aquam miniſtraſſe.* Aſinus ergo Epeus eſt Simonidis Heros, qui, ſi vocandi caſu efferatur, vt in hoc caſu opus eſt, & fronte careat, i. prima ſui parte, videlicet A, relinquet nobis verbum hoc *ſine*, quod ipſiſſimum à Sphinge noſtra deſcriptum eſt.

 Mox

Mox ego ponè ſequor bis binis caſibus ictus)

Grammaticorum vſus obtinuit, vt variæ nominũ inflexiones Caſus nominentur, quare ſi Pronomen *Ego* quatuor inflexiones, ſeu caſus, ſubeat, ad eum, quem Accuſandi caſum vocãt, perueniet, & in Pronomen ME migrabit, quod hic iuxta Sphingis ipſius ſensũ poſt *Sine* apponendum eſt.

Quatuor & demptis, ſexcentum immobilis vrget, &c.*)*

Si ex ſexcentis quatuor tollas, fiunt nonaginta, & ſex; quandoquidem vero ſupra vidimus nonaginta quinq. nil aliud fuiſſe, quam tria hæc Alphabeti Latini elementa DVC, ita nunc ſuperaddito I, quod vnũ denotat, nonaginta ſex erunt quatuor iſtę

lite-

literæ DVCI. vnde iam habemus ex Didecaſtichi nodis hactenus explicatis, DVC ME, NEC SINE ME DVCI; ſed poſt hæc quid reliquum eſt?

Immobilis vrget.
Sphæra, cui eſt vbiuis centrum, nec circulus vſquam.

Ad hanc Sphæram inueniendã, & probe dignoſcendam Lectori lumen præfert, & eum quodammodo manu ducit Pius Rubeus Placentinus, qui, vt in omnibus, quæ plurima cõſcripſit, operibus ſuis vere pius, mire eruditus, & plane doctus, ita in Commentarijs, quos in res D. Hieronymi geſtas edidit, omnino mirabilis, cum cap. 11. num. 39. Dei ſedẽ vbiq. eſſe dixiſſet, ſtatim modum docet, & infert. *Igitur quemad-*

modum in cælo per reuelationem, in ſole per repræſentationẽ, in ſãctis per ſanctificationẽ, ſic in inferno ſecundũ iuſtitiæ executionem ſedere pro Tribunali dicitur, Propheta teſtante, qui ait: Si aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. Sed Triſmegiſtus, vt videre eſt apud Vaſquez in 1. p. tom. 1. diſp. 29. num. 23. tam aperte nodum hunc enodat, vt, eo audito, quod inquirimus, meridiana luce clarius appareat, ſic enim Deum deſcribit, vt eum dicat eſſe *Sphæram immobilem, cuius centrum ſit vbiq.; circumferentia vero nuſquam*. quis autem adhuc dubitet, quin hæc Sphingis noſtræ Sphæra DEVS ſit?

Hanc id, mus cuius nota)

Sphęrã, quã modo innuimus, ſubſe-

ſequitur, id cuius mus symbolũ eſt, ac hierogliphicum. quapropter videndum nobis eſt, cuiuſnam rei mus ſignum ſit. Ioannes Crotus Murem amici fucati, & fugacis notã lepide putat, quod mus ingratus, incenſa domo, fugiat.

Vixiſti mecum, fortuna matre: nouerca

Me fugis; & poteras æqua, & iniqua pati.

Ex Hori tamen Apollinis ſententia Hierogl. 47. cui accedit Pierius lib. 13. de Mure num. 2. ab Ægyptijs Sacerdotibus per Murem *Optio* deſignabatur. *Multis ſiquidem*, ait Horus, *varijſq. appoſitis panibus, mus puriſſimum, atq. optimum rodit. propterea & Piſtorum iudicium ex muribus ſumitur.*

Optio igitur id eſt, cuius Hieroglyphicum mus eſt, quodq. hoc in loco poſt *Deus* adiungẽdum eſt.

Me pro fine repoſto) i. loco vltimę, literę, quæ in nomine *Optio* eſt O vltimum, ponatur Monoſyllabon hoc *Me*, ita vt ex vtraq. parte *Optime* coaleſcat. vltima enim vocis alicuius pars puppis, & prima prora, ducta à nauibus ſimilitudine, ænigmatice interdum nuncupari ſolet.: vnde quidam *AVE* dicturus Amico verſum ſcripſit

Mitto tibi NAVEM prora, puppiq. carentem.

Tum per me ſulcũ cludunt) Arare nonnunquam idem eſt, ac ſcribere, Iſid. ex Atta Satyr.

Mucroneq. aremus oſſeo.

quia in cerata ſcribebant tabella.

la. inde exarare: Ouid. 3. de ponto.

Ad fratrē ſcriptas exarat illa notas.

immo ſulcare ipſiſſimum ſcribere eſt. Ennod.

Otia Niliacis non paſſus carmina biblis
Sulcaui. ac proinde ſulci erunt lineæ, & verſus ab altero in alterum paginæ latus arati. Hinc Prud. himn. 9. de S. Caſſian. M.

Inde alij ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur.

Sed quæ nam ſulcum, & verſum hunc noſtum claudunt? ea ipſamet verbula *per me* ſulco, & primo Diſtichi, quod Sphinx ænigmatice, & pedetentim exprimit, verſui finem faciunt, quem inte-

grum exhibeo.

Duc me, nec ſine me duci, Deus optime, per me.

Renouantq. ſecundum Te duce) hoc eſt. & duo hæc ipſa nomina *Te duce* inchoant alterum Diſtichi verſum.

Dextrorsũ pergendo more Latino) quia non omnes populi eodem vtuntur pergendi more in ſcribendo; ſed alij, vt latini dextrorſum ſemper pergunt, ideſt à lęua in dextram ſine retrogreſſione ad læuam; alij, vt faciunt Aratores, cum retrogreſſione ad læuam; alij ſiniſtrorſum ſemper tẽdunt, vt Hæbrei; alij ſurſum; alij deorſum; alij etiam diametraliter incedunt. ex quibus omnibus 24. Scribendi modi eruuntur, quos videre potes apud Erudi- tiſſi-

tiſſimum Virum Hermannũ Hugonem De prima Scribendi origine cap.8. vbi rem hanc vniuerſam tam enucleatę pertractat, vt nil melius deſiderari, aut dici poſſe crediderim.

Tertia mox reſonat vox, quam Schola muſica format.)

Voces, quibus Muſici ad ſonos ſuos exprimendos primum vtuntur, ſex ſunt ad id à Guidone Aret. confictę, nimirum, Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La, quas in hoc Diſticho comprehenſas habes.

VT REleuet MIſerum FAtum, SOLitoſq. LAbores
Æui: ſit dulcis Muſica noſter amor.

& Franciſcus Cameranus in ſuo Heptacalamo non ſolum harum quaſi ſchalarum aſcenſum; ſed

deſcenſum ſimul, & regreſſum vno, eodemq. Diſticho ad S. Michaëlem Archang. concluſit.

VT REprimar, MIchaël, FAma SOLuta LAtrat,
LAcertum SOLidi FAc MIhi REgis VTi.

propterea tertia muſicarum iſtarum vocum eſt MI, quam hic Sphinx noſtra verbis TE DVCE ſubiungit.

Longaq; vindictæ; ſed decollata cupido)

Quid ſit longa vindictæ cupido docet Baſilius homil. de Ira. *Indignatio*, inquit, *& ira plurimum inuicem differunt: eſt enim indignatio ſtimulus quidam breuis, & ſubitus, acutuſq. paſſionis vapor: ira vero permanens, ac diuturna triſtitia, aptaq. ſe ſe otioſe vlciſci, velut libido quæ-*

dam

dam ſe vindicandi, ſit igitur hoc in loco longa vindictæ cupido *Ira*; ſed ira decollatá quænam erit? anne *Ira* ipſa abſq. capite, i. abſq. prima verbi litera, quę eſt I? ita plane. Decollare enim Suetonio eſt caput amputare, vt videre eſt in Caligula: vnde ex *Ira* remanet tantum *Ra*, quod cũ *Mi* mox à Muſicis mutuato integrum nomen *MIRA* componit, & tertium ſecundi huius verſus verbum conſurgit.

Carbilij Inuentum facit, vt præſentia tantum,
Quod ſequitur, doceat: ſine quo ventura doceret)

Spurium Carbilium Inuentorem fuiſſe literæ G teſtatur Ioannes Rauiſius in Officina, vbi de Inuentoribus diuerſarum rerum,

Her-

Hermannus Hugo de rei Literariæ antiquitate cap.4.& 7. Antea enim Latini C vtebantur pro G, vt Caius, Cneus pro Gaio Gneo. Sed quo pacto litera G efficiat, vt, quod ſubſequitur, præſentia tantum doceat, & abſq. illa futura ſimul indicet, ſatis adhuc apertum nequaquam eſt. ne pluribus hic te morer, de verbo GERO ſermo eſt, quod, iuxta Grãmaticorũ loquendi modum, præſẽtis quidẽ tẽporis eſt; ſed ſine G futuri fieret; quia remaneret verbũ ERO, & nullę ampli⁹ tenebrę sũt.

En ſine fine tibi mel)

Ieſus mihi eſt, ait Bernard. ſerm. 15. in Cant. *mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Richard. de Laud. Virg. cap. 2. Bernardum ſecutus *Sicut*, inquit,

na-

nomen Ieſu mel in ore, in aure melos, in corde iubilus, ſic & nomen Maria, & etiam amplius, ſi dicere audeamus. numquid igitur dulciſſima iſta *Ieſu*, & *Mariæ* nomina ſine fine mel iſtud erunt, quod Sphinx noſtra nobis hic offert? enimuero libenter idipſum amplecteretur doctiſſimus, æque ac integerrimus Mariæ cultor Nouarinus, qui in Vmbra ſua Virginea Excurſ. 128. *Mel* inquit, *Ieſu nomen, mel Mariæ*; libentiſſime vero illud idem aſſereret Hippolitus Marraccius Marianorũ æui noſtri Scriptorum Coryphæus, Vir, vt Ingenio, ac Eruditione, ita pietate, ac ingenuitate mire amabilis, & vere admirabilis, cui nihil in terris dulcius, quam Maria, ac Mariæ cultus: quod non mo-
do

do *Apoſtoli*, *Pontifices*, & *Fundatores Mariani*, nec non *Bibliotheca* ipſa *Mariana* mirandum in modum Mariano melle manantes ſatis aperte hucuſque indicarunt; ſed *Cæſares* ipſi *Mariani* (quos auide in dies expectamus) atque alia propemodũ innumera eiuſdem opera iam prælo præparata, quæ Marianum ſibi nomen omnia præſeferunt, magis, ac magis comprobabunt.

Sed nequaquam de melle iſto, cæteroquin ſuauiſſimo, ac infinita prorſus dulcedine affluentiſſimo, Sphingem hanc locutã fuiſſe cenſuerim. *Mel* iſtud ſine fine erit Pronomen hoc ME, dempta à nomine MEL litera L, quæ ibi vltimo loco erat.

Et arculus abſq. ſagitta)

Ar-

Arcus iſte ſine ſagitta; ſed non ſine neruo, & chorda, tam aperte literam D grandiuſculam exprimit, vt nulla alia ad id opus ſit explicatione. hac eadem ſimilitudine vſus eſt ad Griphi ſui literas deſcribendas, quē in Nomen *Ieſus* conſcripit, elegantiſſimus Vir Franciſcus Bencius.

Parthicus inſequitur ſinuatis flexibus arcus,
Cui prope ſit velox apta ſagitta manu, &c.

En tot, quot medio vngue introrſum læua plicato,
Fortior et quinto innuit)

Beda lib. de Indigitat. & Pierius Valerian. lib. 37. tum verbis exprimunt, tum figuris ipſis oſtendunt, quem numerum tam dextera, quam ſiniſtra manus ſingu-

lis

lis digitorum complicationibus innuant. Siniſtra ergo manus, ſi in palmam digitum inflectat impudicum, quem etiam à Satyrico mediũ vnguem dictum videmus,

Cum fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet vnguem:

quinarium numerum ſignificat, qui Latinis eſt, vt ſuperius etiam diximus, litera V. Fortior vero manus, nimirum Dextera, quinto, ſeu auriculari digito introrsũ pariter plicato, centũ deſignat, nimirum C; nã læua manu per hãc Indigitationis artẽ numeros omnes centenario inferiores exprimere poſſumus; ſed centenariũ, & alios omnes centenario maiores dextera manu ſignificamus: vnde Iuuenalis dixit,

Fe-

Felix nimirum, qui tot per ſæcula vitam
Diſtulit, atq. ſuos iam dextra computat annos.

vt centenarium annorum numerum denotaret.

Ecce ſecunda ſecundæ Pars)

Secundum elementum vocis huius *Secundæ*, videlicet E, vere ſecunda *Secundæ* pars eſt. Si autem ſimul literas DVC ſuperius explicatas cum E mox allata iungamus, fiet DVCE, quod ipſa Sphingis mens eſt.

Delatorumq. nota)

apud Boet. li. 1. Tul. 2. off. Auſon. epiſt. 15. Valer. Max. li. 6. c. 4. vocantur notæ ea puncta, ſigna, & ſtigmata, quas literas ſeruiles appellauit Seneca, quod infamiæ, & probri cauſa fugitiuorum ſer-

uorum

lis digitorum complicationibus innuant. Siniſtra ergo manus, ſi in palmam digitum inflectat impudicum, quem etiam à Satyrico mediũ vnguem dictum videmus,

Cum fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumque
oſtenderet vnguem:

quinarium numerum ſignificat, qui Latinis eſt, vt ſuperius etiam diximus, litera V. Fortior vero manus, nimirum Dextera, quinto, ſeu auriculari digito introrsũ pariter plicato, centũ deſignat, nimirum C; nã læua manu per hãc Indigitationis artẽ numeros omnes centenario inferiores exprimere poſſumus; ſed centenariũ, & alios omnes centenario maiores dextera manu ſignificamus: vnde Iuuenalis dixit,

Fe-

Felix nimirum, qui tot per ſecula vitam
Diſtulit, atq. ſuos iam dextra computat annos.

vt centenarium annorum numerum denotaret.

Ecce ſecunda ſecundæ Pars)

Secundum elementum vocis huius *Secundæ*, videlicet E, vere ſecunda *Secundæ* pars eſt. Si autem ſimul literas DVC ſuperius explicatas cum E mox allata iungamus, fiet DVCE, quod ipſa Sphingis mens eſt.

Delatorumq. nota)

apud Boet. li. 1. Tul. 2. off. Auſon. epiſt. 15. Valer. Max. li. 6. c. 4. vocantur notæ ea puncta, ſigna, & ſtigmata, quas literas ſeruiles appellauit Seneca, quod infamiæ, & probri cauſa fugitiuorum ſeruorum

uorum frontibus, ceruicibus, faciei, dorſo, vel manui inurerentur, vnde ſerui illi dicti deinde Stigmatię, Inſcripti; Stigmatici, & Literati. Calumniatoribus autem, teſte Lipſio 2. Elect. cap. 15. K imprimebatur, quod antiquitus Kalumnia ſcriberetur; T furibus, M homicidis, & D denique delatoribus, vt obſeruauit Hugo ipſe cap. 19.

Archifabriq. libella) Architectonicam libellam, ſi literę figurã attente ſpectes, ipſiſſimam A eſſe cognoſces. ſic eam vocat Ludouicus Dulc. Dialog. de Memor. augend. & conſeruanda pagin. mihi 53. & 56.

Cui centum è Gręcis drachmarum pondus adhæret)

Pondus centũ drachmarũ à Grę-

cis

cis ſumpto nomine *Mna* dicitur, ita nos docuit Plinius lib. 25. *Mna, quam noſtri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum*, & copioſiſſime doctiſſimus Vir Budæus de Aſſe lib. 3. D igitur, A, & MNA penultimum Diſtichi verbum componunt, quod eſt DAMNA.

Finis enim rerum omnium apex tandem omnia claudit) Vltimus iſte Sphingis verſus vltimum Diſtichi in Didecaſticho latentis verbum continet; ſed, vt ſummo, ac extremo loco eſt, ita ſummas, & extremas quodãmodo tenebras nobis offundit. *Apex* hoc in loco eſt prima, ac ſuprema pars quatuor horum verborum *Finis enim rerum omnium*, adeo vt verſum hunc integrum

ſic

ſic exponere neceſſe ſit: denique prima litera ſingulorum 4. horũ verborum *Finis enim rerum omnium*, quæ ſimul verbum FERO conſtituunt, Sphingi noſtræ Ioſerię finem imponũt, quia verbum hoc *Fero* Diſtichum claudit quod è Didechaſtichi quaſi viſceribus iam tandem prodit in lucem, & Sphingem vere non Ioſam tantum; ſed ſeriam quoque fuiſſe cumulatiſſime demonſtrat.

Duc me, nec ſine me duci, Deus optime, per me:
Te Duce, mira gero; me duce, damna fero.

MY-

MYSTICA
PRVDENTII
FIGVRA
Cum triplici in eam Expoſitione

CL. V.

IO.PETRO CRESCENTIO
ROMANO
Nobili Placentino, Eq. & Co.
Palat. Acad. Adagiato,
Geniali, &c.

CL. V.

OBſcuriſſima hæc MYSTICÆ FIGVRÆ nox, perexiguis ingenioli mei faculis minimum illuminata, quidni Te ſpectet, a quo lucem, & ſplendorem expectat, eruditiſſime Creſcenti? Argenteus Creſcentium Lunarũ Tuarum fulgor nocturnis hiſce tenebris ſolis æmulam claritatem, eximijq. ingenij Tui lumen inocciduũ perituris faculis meis proſperam pollicentur perennitatem. Nec Luna ſpectantium perſtringit oculos: nec ſpem meam Tua fraudabit humanitas. Vale mi Creſcenti, & in dies magis in omnem creſce felicitatem. Plac. Id. Ian. MDCL.

Obſtrictiſs. Ser.
Petrus Franciſcus Paſſerinus.

MY-

MYSTICA
PRVDENTII FIGVRA
Proponitur.

AVrelius Prudẽtius Clemens V. C L. quem Gennadius in Catalogo Illuſtrium Virorũ Eruditum, & Laude Digniſſimũ; Antonius Poſſeuinus in Apparatu Sacro Elegantem, & Argutum, & Robertus Bellarm. Cardinalis De Scriptoribus Eccleſiaſticis Poëtam vere Chriſtianum,& Egregium dicunt, in Pręfatiuncula Operis illius, quod

PSYCHOMACHIAM inſcripſit, & eſt de Pugna Fidei, & Idololatriæ: Pudicitiæ, & Libidinis: Patientiæ, & Iræ: Superbiæ, & Humilitatis: Luxuriæ,& Sobrietatis: Auaritiæ,& Largitatis: Concordiæ,& Diſcordiæ, narrato Abrahæ facinore, cum ex omni ſeruorum ſuorum multitudine trecentos decem,& octo fideliores, promptiores, & exercitatiores delegit, armauit, & eduxit ad conflictum, ijſque ingentem hoſtium exercitum profligauit, Hiſtoria ad Allegoriam tracta, cum nobis etiam aduerſus infenſiſſimum vitiorum exercitum dimicandum ſit, ne nos domeſticæ cohortis ope carere doleamus, aſſeueranter ſubdit,

Nos

Nos eſſe large vernularum diuites,
Si, quid trecenti, bis nouenis additis,
Poſſint, figura nouerimus myſtica.

Sed quid ſibi velit numerus iſte trecentorum, & decem octo vernularum, quidue ſit figura iſta myſtica, adeo obſcurum eſt, vt hic vel eruditiſſimorum virorum acutiſſima cęcutierint ingenia. Victor Giſelinus, qui Prudentij opera non parum ſuo illuſtrauit Commentario Oedipum hic aliquem, aut Pythagoricum exoptat; & Nicolaus Reuſner. Folijs Sibyllæ obſcurius, & numeris Pythagoricis abſtruſius Aenigma nuncupauit. Tres ipſe ſolutiones ſingillatim producam

in medium, vt, quam ſibi quiſq. maluerit, libere poſſit eligere, ſeu meliorem, ſi harum nulla placeat, excogitare.

MYSTICÆ FIGVRÆ

Prima Expoſitio.

RVpertus apud Perer. tom. 3. in Geneſ. cap. 14. verſ. 14. ex numero iſto decem, & octo ſupra tercentum myſtice, ac figurate Sanctã Nicænam Synodum ex trecentis, & octodecim Epiſcopis conflatam accipit. *Hic numerus*, inquit, *totus ſacer eſt, quo & S. Nicæna Synodus, non humana induſtria, nõ compoſitione aliqua; ſed Diuina agente prouidentia gauiſa eſt: in quã va-*

ſta-

ſtator Chriſtianitatis Arius à trecen-tis, & octodecim Epiſcopis ſuperatus, & damnatus eſt. Et Antonius Nebriſsẽſis, qui in tres priores Prudentij libros Commentarium erudite conſcripſit, Rupertum ſecutus hunc ipſum trecentorum, & decem, ac octo vernularum numerum totidem Orthodoxis Patribus, qui Nicæno Cõcilio interfuerunt, applicandum ſapienter cenſuit; licet aliquibus æq. obſcura hæc explicatio, ac res ipſamet explicata, videatur: quorum tamen oculos collyrio potius, quam res ipſas viſas claritate indigere crediderim, vt ingenioſiſſime, ac lepidiſſime in ſimiles obſcuri ingenij melius, quam obſcurarum rerum cenſores dixit Doctiſſimus, & Eloquẽ-

tiſſimus Daniel Bartolus Part. ſecunda Vir. Liter. de Obſcuritate.

Cum ergo Prudentius prudẽtiſſime nos ditiſſimos, & potentiſſimos eſſe pronunciet, ſi, quid trecenti, & decem octo valeant, & poſſint, allegorice cognoſcamus, innuere viſus eſt, eos, qui rectam Chriſtianæ Fidei ſummã in Nicæna Synodo traditam firma Fide tenuerint, ea præditos eſſe vi, ac potentia, vt facile hoſtes omnes vincere, & debellare poſſint; quod Prophetice præfiguratum, & Diuinitus præſignificatum fuiſſe in Abrahamo non incongrue dicent, qui rem perbene perpendent. Quare primã hanc Difficultatis expoſitionem ſic expoſuerim.

Ter-

Tercentum, octo, deceniq. Patres Fidei, atq. Salutis
Nicæna in Synodo ſummam docuere, Viamque:
Hæc bene qui teneat; totidem quaſi Myſticus Abram
Stipatus vernis, hoſtilia conteret arma.

MYSTICÆ FIGVRÆ

Secunda Expoſitio.

MInus forſan aperte; ſed non minus pie, ageret, qui Myſticam hãc Prudentij Figuram ſanctam ipſam Crucem, & Diuinum Ieſu nomen interpretaretur, ſi Græcorum characterum vim, & numerandi modum diligenter inſpiciamus. Cũ

 enim

enim ij Literarum elementis pro Arithmeticis numerorum notis vtantur, trecentorum, & octodecim vernularum numerum tribus Alphabeti literis exprimunt, quę ſunt Tau, Iota, & Heta; Tau enim 300. Iota 10. & Heta 8. ſignificat, vt luculentiſſime tradit Gretſer. Inſtitut. Græc. Part. 3. cap. 33. Haſce vero literarum figuras, quis myſticas, & pietatis pleniſſimas eſſe neget, qui maximos ibi Salutis Aeternæ theſauros latentes agnoſcat? *Tau* ſiquidem ſignum, quod Salutis notam Aegyptij nuncupabant, *litera eſt ſpeciem Crucis demonſtrãs*, ait Iſidorus de Vocat. Gentium, nam ſi ligno erecto breuius alterum ſuperne, & in ipſo capite committatur, ſic vt nihil extet,

Com-

Commiſſa Crux fiet, & Examuſſim litera T formabitur, quam vno ore omnes cum cruce componunt, teſte Lipſio de Cruce lib. 1. cap. 8. cuius incomparabilis Viri ſiue doctrinam, ſiue elegantiam, qui aut doctiorem, aut elegantiorem deſideraret, mellis dulcedinem, melle dulciorem exquireret, quod de eodem Lipſio veriſſime dixit in Theatro Viror. Literat. volum. 1. Hieronym. Ghilinus ampliſſimum Alexandrinorum Patritiorum Decus, Literarum omnium, æq. ac Literatorum cultor eximius, eaque Genij, Ingenijq. vbertate, ac liberalitate præſtans, vt diſciplinis, ac virtutibus vniuerſis excellere non immerito cenſeatur. Iota autem, & Heta priores

auguſtiſſimi nominis *Ieſu* literæ ipſummet indicant in genitiuo; in nominatiuo enim, tertia ſuperaddita litera, nimirum Sigma, & linea ſuperne ducta, *Ieſus* ſic Græce figuratur *IHS*, licet vltimæ literæ loco, ideſt, pro S. Latino Sigma Græcum poni deberet, vt cum duabus prioribus cōueniret, quæ Græcæ omnino ſūt, nimirum Iota, & Heta. ex quibus clare liquet, cur nomen hoc *Ieſus* tribus hiſce elementis *IHS* vulgo ſcribatur; ſecunda enim litera, quæ Aſpirationis Grandicuſculæ Latinorum imaginē præ ſe fert, Heta Græcorum, & ſecundum dictionis *Ieſus* elementum eſt ſicuti etiam nomen ipſum *Chriſtus* à Græcis per abbreuiationem tribus alijs literis, ſcilicet,

cet, Chi, Rho, & Sigma figurabatur, vnde vetus ad nos emanauit vſus ſcribendi *Chriſtus* hoc modo *X P S*, prima enim litera, quæ iX, & ſecunda, quæ Pe Latinorum videntur, Chi, & Rho Græcorum ſunt; tertia vero vere eS noſtrum eſt; attamen Sigma Græcorum eſſe deberet, ne, vt innuimus, à ſuperioribus Idiomate diſcordaret; ſed ſcribentium error paulatim Sigma vertit in eS, cum ambo figura ipſa non valde differant, & idcirco Græcanicæ abbreuiationis originem ignorantibus verum monſtrum, vel ſaltem valde mirum eſſe ſolet, cur *X P S* ſit *Chriſtus*; vt optime animaduertit Adolphus Mekerchus De linguę Græcæ veteri Pronunciat. cap.

34. Quocirca Secundam, hanc Myſticæ Figuræ explicationem ſic exprimere poſſumus.

Tercentum Tau, Iota decem, octoque indicat Heta:
Tau Crucis effigiem, Iota, Hetaq. nomen Ieſu.
Tercentum ergo, decem, ac octo quid roboris his ſit
Vernis, ſi noris; hoſtes his viceris omnes.

MYSTICÆ FIGVRÆ

Tertia Expoſitio.

ET ſi Latini Alphabeto ad numerandum, vt aſſolent Græci, nequaquam vtantur; ſuas tamen Latini quoque numerales habent literas, vt antea diximus, qui-

quibus myſtice numerum quemlibet exprimere poſſunt. Quamobrem, cum vnica Crucis figura Chriſtianis ſit pro multitudine, ac virtute legionum, vt ait Paulin. Nolan. epiſt. ad Scu. adeo vt Conſtantino teſte Zonara, & Euſebio, vere dictum fuerit *In hoc ſigno vince*, immo, cum Crucis vis non hoſtes tantum; ſed etiam peccata ipſa deleat, & ipſas quoque Purgatorij flammas extinguat, vt doctiſſime, & luculentiſsime docet Chryſanthus Solar. Placentini Theologorũ Collegij Sidus aureum, Pentateuchi Mort. lib. 4. cap. 29. n. 5. cur Prudentius noſter ſymbolice admirabilem Vnicę Crucis figurę vim, ac potentiam propemodum infinitam ex numeralibus ipſis literis,

ris, quæ in verbis continentur innuere non potuit? immo cui noluit? equidem, dum numerales literas trium horum verborũ *VnICa CrVCIs fIgVra* diligenter ſupputo, & ex tribus CCC, tribus VVV, & tribus III, ipſiſsimum omnino numerum trecentorum, et octodecim agnoſco, Prudentium huc alluſiſſe cur negem? cur Myſtica illius figura noſtram hanc Sacroſanctam figuram figurate non indicet, cum concors numerorum numerus, veluti veritatis nota, idipſum iudicet? enimuero nomina per numeros exprimere nouum nõ eſt, cum etiam Chriſti nomen *Ieſus* per ambages expreſſum fuerit à Sibilla per numerum 888. vt diſerte docet Cauſſ. de Eloq. lib. 4. c. 37.

c.37.immo Antiqui, ſuperſtitioſa, & vana fide, tantam nominum numeris vim eſſe credebāt, vt nomina, quæ maiorem numerum continerent, cæteris inferioribus feliciora prædicarent, & ex nominum numeris in bellis victoriæ omina captarent. ſic Hectorem Patroclo, et Hectore Achillem victorioſiorem voluere. Terentianum Maurum audiamus.

Et nomina tradūt ita literis peracta,
Hæc vt numeris pluribus; illa ſint minutis.
Quandoq. ſubibunt dubiæ pericla pugnæ,
Maior numerus, qua ſteterit, fauere palmam,
Præſagia lethi minima patere ſūma.

Sic

Sic & Patroclum Hectorem manu periiſſe,
Sic Hectora tradunt cecidiſſe mox Achilli.

Hinc ego rem omnẽ breui claudam Tetraſticho.

Perbene, quid ſint tercentum, ter quinque, ter vnus,
Diſce, fIgVra CrVCIs queis omnibus VnICa conſtat;
Vernarum tam diues eris, tam fortis in hoſtes,
Ditius vt toti nil ſit, nec fortius Orbi.

PRO-

PROTEVS
CHRISTIANVS,
Cryptographus, & Griphologus.

V. CL.

ANGELICO

APROSIO

INTEMELIENSI

Ord. Erem. S.Auguſt. SS. Theol. Profeſſori, Acad. Incognito, Geniali, &c.

V. CL.

PRoteum Proteo vt debeo, ſic dedico, vere Angelice Aproſi. Sapricius ille Saprici, Oldaurus Scioppius, Maſottus, & Carolus Galiſtoni, Scipio Glareanus, & Parageſius ipſe, quos Ioan. Franc. Lauretanus,

Littoris Adriaci Siren, & noſtri Tullius æui,

Tibi familiariſſimos appellauit, Te tot Auctorum Auctorem, Sapientiſſimum Proteum demonſtrant. Proteus autem meus tot protinus tranſit in effigies, vt, ſi totidem viuas, & valeas in annos, (nis.

Omnib. elapſis fias annoſior an-

Plac. Id. Ian. MDCL.

Addictiſs. Ser.
Petrus Franciſcus Paſſerinus.

PRO-

PROTEVS

CHRISTIANVS,

Cryptographus, & Griphologus.

Ex Tractatione

1 Ieremian. 2 Cęſarea, 3 Auguſt. 4 Romana, 5 Trithemian. 6 Diaulica.

1 NDC, IGZT 2 TZD XRO 3 OPY, OKG 4 VIIXXIX XVIXXXI, 5 I ΛEKΛ IBEΛ 6 IM SIS:

1 Ieremian. 2 Cæſarea, 3 Auguſt. 4 Romana, 5 Trithemian. 6 Diaulica.

1 DKC, ITG 2 TZDP TZMG 3 OPO GKV? 4 XIIIIX XIXV, 5 IBEICIG IBEΛ 6 LIN TLVV.

Multiplex
IN PROTEO
Moris, & oris
Mutabilitas
Explicatur.

TRia in Proteo noſtro animaduertenda ſunt, Literarum Cryptographia, Syllabarum Proſodia, & Verborum Griphologia; quę omnia tam multiplicem pariunt obſcuritatem, vt quemadmodum nil mutabilius, ita nil Protęo inexplicabilius videatur.

PROTEI CRYPTOGRAPHIA Explicatur.

CRyptographiæ, quam Latine occultam ſcriptionem appellamus, modos omnes ad tria quaſi ſumma omnium genera reduxit Hugo de prima ſcribendi origine cap. 16. nimirum 1. ad Literas, plane fallentes aſpectum. 2. ad Literas aliarum Literarum loco poſitas. 3. ad Notas. de quibus omnibus fuſe, ac erudite agit Io. Baptiſta Porta Neapolit. De furtiuis Notis, & ſelectiſſime Puteanus Epiſt. ad Plouuierium De Cryptographia.

Pro-

Protei noſtri clandeſtina ſcriptio ad ſecundum omnino Cryptographiæ genus referri debet, cũ Literarum characteres nec inuiſibiles ſint, nec per notas; ſed per tranſpoſitionem ſcripti: quam ſcribendi formam Varro lib. IV. Etymolog. *Tractationem* vocat; nõ *Arctationem*, vt male quidam legunt, quod diligenter adnotauit Turnebus lib. 24. Aduerſ. c. 29. Cum autem Tractationis, ſeu per literarum Tranſpoſitionẽ, Trãslationem, Tranſportationẽ, ac Metatheſim ſcriptionis ſpecies fere infinitæ ſint, adeo vt Trithemius Polygraphię ſuæ lib. 5. ex vno Latinarum Literarum Alphabeto paulo minus, quam quatuordecim millia per Literarum metatheſim effici poſſe demon-

monſtret, eas Tractationis formas, quibus in Proteo vſi ſumus, ſingillatim indicauimus, ne Delio, vt aiunt, Natatore ad rem diuinandam opus eſſe conclamaretur, quas breuiter hic ſingulas exponemus.

Ieremiana Tractatio quid ſit docet Hieron. Commentar. in cap. 25. Ieremiæ, qui apud Hebræos literas ita tranſponi ſolitas affirmat, vt prima loco vltimæ, ſecunda loco penultimę, atq. ita deinceps ponerentur, videlicet Aleph pro Tau, Beth pro Schin, &c. Sic ab Ieremia ſcriptum fuiſſe cenſet *Seſach* pro *Babel*, ne Rex in captiuos Iſraëlitas irritaretur. Si ergo eadem Literarum tranſpoſitio in noſtro fiat Alphabeto N erit loco L, D loco V, &

C lo-

C loco X; vnde NDC erit LVX. præterea I erit loco P, G loco R, Z loco A, & T loco E: vnde I GZT ex tractatione Ieremiana erit PRÆ.

Cæſarea tractatio ex Dione lib.39. eſt, cum primarum Literarum loco quarta quæq. ſuccedens ſcribitur, exempli cauſa, D pro A, E pro B, F pro C, &c. qua ſcribendi ratione vſum C. Cæſarem teſtantur Suetonius, Gellius, & Probus Grammat. qui de occulta Literarum ſignificatione à C. Cæſare ſcriptarum Commentarium perſcripſit. quare ex Cæſarea tractatione T erit Q, Z erit V, D erit A, & TZD erit QVA. præterea X erit S, R erit O, O erit L, & XRO erit SOL.

Au-

Auguſta tractatio, qua Auguſtus Imperator vtebatur, fit, ſi pro vnaquaque litera ſuccedentem ponamus, hoc eſt, pro A ponatur B, C pro B, D pro C, &c. pro X autem duplex AA. ita Sueton. in Auguſt. c. 88. Vnde nobis O erit N, P erit O, Y erit X, & OPY erit NOX. præterea O erit N, K erit I, Y erit X, & OKY erit NIX.

Romana tractatio eſt, cum Literas numerales eum numerum notantes, quem ex Alphabeti ſerie conficiunt, loco literarum ipſarum ſcribimus, i. I pro A, II pro B, III pro C, IV pro D, V pro E, & ita deinceps. cum enim Hebræi, inquit Bibliander, numeris vtantur loco Literarum, quod etiam Græci ipſi facere

conſueuerunt, cur Romani præſtare id nequeant? VI ergo erit F, IX erit I, XIX erit T, & VI IX XIX erit FIT. præterea XV erit P. IX erit I, XXI erit X, & XV IX XXI erit PIX.

Trithemiana tractatio ab ipſo Trithemio in explanatione libri 6. Polygraph. affertur, quam ad Hæbreorum, & Græcorum imitationem effinxit, & à ſe primum inuentam teſtatur, tale autem eſt illius Alphabetum.

A valet idē, quod 1, B 2, C 3, D 4, E 5, & 6, F 7, G 8, H 9, I 10, IA 11, IB 12, IC 13, ID 14, IE 15, I& 16, IF 17, IG 18, IH 19, K 20, L 30, M 40, N 50, O 60, P 70, Q 80, R 90, &c. Hinc apud nos IA erit 11, hoc eſt L, E erit 5, hoc eſt, item

E,

E, KA erit 21. hoc eſt, X; & IA E KA erit LEX, præterea IB erit 12, hoc eſt M, E erit 5, hoc eſt item E, A erit 1, hoc eſt, item A; & IBEA erit MEA.

Diaulica tractatio fit retrogradiendo, & verba inuertendo: *Curſorum* ſiquidem *pars*, ait Budæus in Pandect. ex Leg. Athletas, *Diaulodromi dicti, cum ad metam peruenerant, flectentes eò rurſus recurrebant, vnde curſum inierant. Diaulus enim dicitur huiuſmodi circumactus curriculi, i. curriculum duplum.* verbis autem plane inuerſis ad occultationem ſcribi ſolitum narrat Iſidorus, certe Griphologi ſic ſæpe ludũt; vnde belle dicitur

MVTNEGRA cum MVRVA
faciunt rectiſſima curua.

 ideſt

ideſt *ARGENTVM*, & *AVRVM*, hæc duo nomina retrolegendo more diauli. Si ergo Diulico recurſu legamus duo illa poſtrema primi verſus verbula IM, & SIS, fient MI, & SIS. Immo verſus ipſi integri, ſingulis retrocurrentibus literis, modo eundem, modo diuerſum ſenſum reddentes fieri ſolent, qui Retrogradi nuncupantur, & aliquando etiam vocum ſerie ipſiſſimi Reciproci ſunt, vt ille eſt

Anna tenet mappam madidam,
mappam tenet Anna.

Diſtichon ergo è Protei Cryptographia natum hoc ipſum eſt.

Lux, præ qua Sol nox, nix ſit pix,
lex mea mi ſis:
Vox, per quam quid non ſit? ni
te, mens mea nil vult.

PRO-

PROTEI
PROSODIA
Explicatur.

ERuto e multis Cryptographiæ modis Diſticho, videndum reſtat, quoties vterque Diſtichi verſus, ſeruata ſemper Hexametri carminis ratione, atque ijſdemmet ipſis verbis non pluribus, nec paucioribus, nec immutatis, varias Protei more induere poſſit effigies: &, vt rem paucis expediam, vterq. Protei noſtri verſus 39916800 modis, dactylo ſemper quinto in loco pro more remanente, variari poteſt.

Quod ſi ex ſolis Spondeis Spondaicus verſus fiat, quod nonnunquam ab Ennio præſtitum non ignoramus, & Græcis multo frequentius eſt, quam Latinis, quale eſt illud,

Ciues Romani tunc facti ſunt Campani:

dummodo monoſyllaba eliſionem non admittentia ſeligantur, verſus ille 479001600 modis ſemper inuicem diſtinctis replicari poterit, cuiuſmodi noſtrum hoc eſt, quod Diſticho iam allato reſpondet.

Si vis me, da mi te: cor rem vult, cui ſe dat.

Quamobrem, qui alterutrum Diſtichi noſtri verſum iuxta eos omnes modos, quibus variari poteſt, exacte perſcriberet, vnicus

ver-

verſus non in vnum; ſed in 2892 volumina excreſceret, quorum vnumquodque omnia Virgilij opera exæquaret; qui vero reſpondentem Diſticho verſum, quoties diuerſe replicari poteſt, exarare poſſet, 34710 volumina ſuperioribus æqualia conficeret, quæ ſola ſatis amplam exigerent bibliothecam.

Et ne mirum hoc, aut etiam falſum alicui videatur, variationis huius originem, ac incrementum quam breuiſſime ſubdam, quę me Mauritius de Curtis Parmenſis Auguſtiniani Ordinis decus, & Mathematicarum Doctrinarum Eruditiſſimus, ęq. ac Acutiſſimus Doctor perhumaniter docuit in hæc verba.

Vt modi ſemper omnes, quibus

 quaſ-

quaſcunq. propoſitas res inter ſe variare contingat, innoteſcant, hæc eſto Regula. Numeri omnes iuxta ſeriem naturalem præcedentes propoſitum rerum numerum inuicem multiplicentur; Vltimus verò multiplex eueniens numerus multiplicetur per propoſitum eundem numerum. Nam, qui inde procreabitur, multiplex numerus propoſitarum rerum varietates, quæ fieri poſſint, indicabit.

Sint propoſitæ res numero 4. Inuicem multiplicentur 3. 2. & 1. numeri ſcilicet omnes iuxta ſeriem naturalem numerum 4. præcedentes; Multiplex verò vltimus eueniens numerus 6. multiplicetur per eundem propoſitum numerum 4. Nam, qui inde procreabitur, multiplex numerus docebit res 4. ſubire poſſe 24. varietates.

Por-

Porrò aſſignatam Regulam confirmat hic diſcurſus. Plurium rerum in linea recta diſpoſitarum eouſq. variabilis erit ordo, quouſq. nouo Tranſpoſitionis modo poterunt eædem res inter ſe diuerſificari. Omnis autem poſſibilis Tranſpoſitio oritur,

Si duæ tantùm res ſint, vt, A.B, ex præceſſione, vt ſi A præcedat B. quod vnico modo eſſe poteſt, ſic A.b. & ex ſubſequutione, vt ſi A ſubſequatur B. quod vnico modo eſſe poteſt ſic b.A

Si tres verò res ſint, vt A.B.C, non ſolùm ex præceſſione, A. ad B.C, quod dupliciter euenire poteſt ſic A.b c A.c b. & ex ſubſequutione, A. eiuſdem ad B.C, quod dupliciter eſſe poteſt ſic c b.A b c A.

ſed etiam ex mediatione, A, inter B, & C. tanquam extrema, quod dupliciter adhuc euenire poteſt ſic b.A.c c.A.b.

Si quatuor deniq. res ſint, oritur poſſibilis Trãſpoſitio inter A.B.C.D. ex quinq. capitibus.

Primò ex præceſſione, A. ad alias tres literas, quod quidem ſex modis euenit ſic A.b c d A.c d b A.d b c A.b d c A.d c b A.c b d

Secundò ex ſubſequutione, A. ad alias tres literas, quod ſex modis euenit ſic d c b.A d b c.A c d b.A c b d.A b c d.A b d c.A

Tertiò ex interpoſitione, A. inter, B. tanquam vnum extremum, & inter, C, D. tanquam alterum extremum, quod quadrupliciter euenit ſic

ſic b.A.c d d c.A.b
b.A.d c c d.A.b

Quartò ex interpoſitione A. inter, C. tanquam vnum extremum, & inter, B, D. tanquam alterum extremum, quod quadrupliciter euenit ſic c.A.b d d b.A.c
c.A.d b b d.A.c

Quintò ex interpoſitione A. inter, D. tanquam vnum extremum, & inter, B, C. tanquam alterum extremum, quod quadrupliciter euenit ſic d.A.b c c b.A.d
d.A.c b b c.A.d.

Igitur, ſi duabus literis, A, B. addita tertia litera, C. cùm duæ tantùm eſſent poſſibiles varietates, ſex poſtea reperiuntur variabilitatis modi: & tribus literis prædictis adiecta quarta litera, C. creſcunt varietates poſſibiles vſq. ad viginti qua-

tuor; Certum eſt: Si numerus poſſibilium varietatum inter aliquot res multiplicabitur per numerum rerũ, quæ vna re excedant priores res, procreatum iri multiplicem numerum indicatiuum varietatum omnium, quibus ſubiacere poſſunt res poſteriores. Nam 6. qui indicat ſex poſſibiles varietates inter A, B, C, eſt numerus multiplex procreatus ex, 2. multiplicatis, per 3. Et, 24. qui oſtendit varietates poſſibiles inter A, B, C, D. eſt numerus multiplex procreatus ex, 6, multiplicatis per, 4.

Quis igitur non concedat, ſi in vno Carmine adſint vndecim voces variabiles, illas poſſe tranſponi 39916800 *vicibus? quandoquidem hic idem numerus eſt multiplex numerus procreatus ex facta mul-*

multiplicatione 3628800 *numeri vltimi multiplicis producti, & conſequentis ad multiplicationes factas per omnes inuicem numeros præcedentes* 11 *iuxta naturalem ſeriem, ſcilicet* 10.9.8.7.6.5.4.3.2. *&* 1 *per numerum* 11 *propoſitum.*

Quod ſi in eodem Carmine vnica adhuc tantùm vox variabilis addatur (mirum dictu) erit Carmen illud verſatile tot vicibus, quot accuſat hic numerus 479001600: *Hic .n. numerus eſt præciſè procreatus ex ſupradicto num.* 39916800 *multiplicato per* 12.

Cum tamen eadem Protei noſtri verba non eundem ſemper ſenſum aperte ſeruent, quem ante tam multiplicem variationem habebant, alius adhuc verſus artificij gratia excogitari poteſt, cui

cui eadem carminis forma, eadem verba, atq. idem omnino ſenſus ſemper inhæreat, qualem noſtrum hunc ex puris Monoſyllabis, & Trigrammatis voculis conflatum vides.

Lux, nox, nix, pix, mel, fel, nos, vos
res, cui par nil.

quem quidem ſi Hexametrum cum dactylo in quinta ſede volueris, nomen illud *cui* diſſyllabũ ibidem retinere poteris; ſin autem Spondaicum, ſtatim *cui* monoſyllabum factum, quamcunq. malueris, ſedem occupabit.

Senſus autem verſus huius duplex eſſe poteſt, primo, ſi propriã vocum illarum ſignificationem intueamur, et ſenſus erit huiuſmodi, *Lux, & cætera omnia ſunt quid ſimile, & par nihilo*, ex nihilo

lo enim omnia facta ſunt, et in nihilum à Deo mox redigi poſſunt, quò etiam natura ſua vergunt, ac proinde rebus omnibus creatis nihil nihilo ſimilius inuenitur, nam ſeu ſint quodammodo incorporea, vt *lux*, et *nox*, ſeu corporea, vt *nix*, et *pix*, ſeu inanima, vt *mel*, et *fel*, ſeu animata, & rationis etiam capacia, vt *nos*, et *vos*, omnia ex ſe nil ſunt, vnde *nil*, & iſta omnia *par* ſunt. Secundo, ſi vocum earundem non propriam ſignificationem; ſed characteres, eorumq. numerum inſpiciamus, & ſenſus erit, *Lux, & cæteræ voces illæ, & nil ipſum ſunt quid æquale, & par*. Cum .n. voces illæ omnes trigrammatæ ſint, & tribus ſingulæ conſtent elementis; eę omnes inter ſe pares,

res, & æquales ſunt, et vnaqueq. illarum vnicuique par eſt literarum numero, ac proinde tam *lux*, quam *nox*, &c. ſunt res quædam, cui *nil* eſt æquale, quia tam *nil*, quam *res*, et reliquę omnes verſus voces trium, vt diximus, literarum ſunt. quo modo tritum illud explicari debet ænigma, quod prima facie tantopere torquet Arithmeticos.

Ter tria ſunt ſeptem, ſeptem ſex, ſex quoq. tres ſunt.

voces enim illæ *ter tria* vere ſeptem literæ ſunt, et ſic de reliquis.

Quare vltimus ille noſter verſus, ſiue vocum ſignificationem, ſiue literarum numerum inſpicias, ſiue cum interrogatione, ſiue ſine illa proferas, ſiue Hexame-

metrum Dactylicum, ſiue Spondaicum velis, quomodolibet voces omnes tranſponas, ſemper vterq. ſenſus vbiq. conſtabit, et vera erunt omnia.

P R O T E I

G R I P H O L O G I A

Explicatur.

PRoteum hunc noſtrum griphologum, ſeu ęnigmatice loquentem diximus, quia licet Chriſtum alloquatur (quem propterea Chriſtianum quoq. nuncupauimus, ſicuti Bahuſius, & Puteanus Proteum illum ſuum ad B.V. 10022. modis variatũ,

Tot tibi ſunt dotes Virgo, quot ſidera cælo, Par-

Parthenium appellarunt) Chriſtum tamen ſymbolice quodammodo deſcribit, vt ęnigmata loqui videatur. *Lux* Ergo dicitur Chriſtus, quia ipſe dixit *Ego ſum lux mundi*.

Præ qua ſol fit nox, nam *Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius*.

Vox, per quam quid non fit? etenim *Vox domini in virtute, Vox domini in magnificentia*, Verbum illud eſt, per quod facta ſunt omnia, et ſine quo factum eſt nihil.

Si vis me, da mi te: cor rem vult, cui ſe dat.

Chriſti reſpõſum Chriſtiano datum iure, ac merito tam multis modis variari poteſt, vt pluribus, meo quidem iudicio, nullus alius variari queat, quò infinitam Chriſti Sapientiam hic etiã admiremur.

RELIGIONIS
ALPHA, ET OMEGA.
SIVE
HEXASTICHON
Chiſtianæ Perfectionis Compendium.

Ad Illuſtriſſimam D.

D. VIOLAM MARIAM

NICELLAM

Religioſiſſimam Ciſtercienſis Ordinis Virginem.

Illuſtriſſima D.

SVmmum Chriſtianæ Perfectionis culmen ſumme anhelanti quid breuiſſima longiſſimæ Artium Artis Epitoma gratius offerri poteſt? eam hic habes Religioſiſſima Virgo, &, quemadmodum nulla culminis arduitas, atque aſperitas inclytam animi Tui generoſitatem deterrere, ita nec Epitomes huius tenebræ admirandum illud ingenij Tui lumen, & acumen obſcurare poterunt. Macte ergo ad Sacrarum Virginum gloriam nata, lectiſſima Ciſtertienſis Paradiſi VIOLA: quò approperas, aduola, & vale. Plac. Id. Ian. MDCL.

Humill. Ser.
Petrus Franciſcus Paſſerinus.

HE-

HEXASTICHON

Chriſtianę Perfectionis Compendium.

GAudia mœrores, lucra damna, opprobria honores,
Interitum vitam, cunctaq. crede nihil.
Nil eſt præteritum, nil præſens, nilque futurum,
Quod fuit, eſt, & erit, nil fuit, eſt, & erit.
Quod nil non ſit; ſed ſimul omnia, & omnibus, vnum eſt:
Omnia age, vnum vt agas: vnũ habe, & omnia habes.

Chri-

Chriſtianę Perfectionis Diſciplina

In Hexaſticho latens indicatur.

Religionis Alpha, & Omega, cum harum literarum prima Græcorum Alphabetum inchoèt, altera claudat, nihil aliud nobis sũt, quã totius Chriſtianæ Perfectionis ſumma. Hinc Chriſtus ipſe Apocalip. 1. de ſe ipſo dixit, *Ego ſum Alpha, et Omega*, rerum, inquam, omnium ſumma, vt propterea ab Aenigmatographo bene dictum fuerit,

Prima rudimenti, ſupremaq. litera Græci:
Soli ſit laus, & gratia Chriſte tibi.

Cum

Cum autem Chriſtianæ Perfectionis gradus tres propemodum ab omnibus ſtatuantur, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, quibus tria illa Purgandi, Illuminandi, et Perficiendi munera ex Apoſtolica Traditione tribuuntur, tria itidem Hexaſtichi noſtri Diſticha tribus illis cùm gradibus, tum muneribus non obſcure conueniunt, vt animaduertenti facile conſtabit.

Gaudia mærores, &c. quia ex Io. Epiſt. 1. c. 2. *Omne, quod eſt in mundo, Concupiſcentia carnis eſt, et Concupiſcentia oculorum, & Superbia vitæ.*

Interitum vitam, &c. quoniam *Frigida mors vitam, mortem rapit altera vita:*

Mors

Mors vanæ vitæ finis,origo bonę.

Cunctaq. crede nihil. nam ſomnia ſunt omnia.

Nil eſt præteritum, etc. nam
Eſſe, fuiſſe, fore tria florida ſunt ſine flore:
Id ſimul omne perit,quod fuit,eſt, & erit.

Quapropter omnes exclamant,
O vitam inuitam, ò incommoda còmoda! ſortem
Exſortem! expem ò ſpem! vana omnia, et omnia vana.

Quod nil non ſit, etc. Deus .n. eſt, qui eſt, hinc

Omnia ab vno	Quicquid ab vno
Omnia ad vnum:	Tendit ad vnum.

Omnia age, vnum vt agas, nam primo quærédum Regnum Dei, et omnia adijcientur nobis.

Vnum habe,et omnia habes. quia

Viuimus ex Te:	Tendimus ad Te,
Fidimus in Te:	Non niſi per Te

Optime Chriſte.

DOCTISSIMORVM VIRORVM TESTIMONIA DE AVCTORE

Alphabetico ordine Digeſta.

ANGELICVS APROSIVS
INTEMELIENSIS

Ordinis Eremit. S. Auguſtini in ſuis Athenis Italicis.

P*Etrus Franciſcus Paſſerinus*, Amicus meus pluſquã Pyladeus, Cotonei laudatiſſimo Laudenſis Diœceſis Oppido xv. Kal. Ianuarij cIↄ Iↄc xI. ex Stephano Paſſerino,& Paula de Haſtis, optimis Parentibus, natus, iactis in Patria primæ literaturæ fundamentis, Cremonam ad maiorem Ingenij iam tunc mirabiliter emicantis cultum capeſſendum ablegatus, quartodecimo ætatis ſuæ anno Nobilium adoleſcentulorum omnium,quibuſcũ

inge-

ingenue educabatur, ſtudioſiſſimus, ſtrenuam Rhetoricę, ac Poëticæ facultati operam nauauit. Mediolanum exinde miſſus à Parentibus in celeberrima Braydenſi Studiorum Vniuerſitate triennium Philoſophiæ, quadrienniū Theologiæ, prælegentibus inter alios Henrico Georgio Ticinenſi, & Ioanne Aloyſio Confalonerio Mediolanenſi Philoſophorū, ac Theologorum e Societate Ieſu ſine cōtrouerſia Anteſignanis, operatus eſt. Cumq; Iuriſprudentiæ tum publice, tum priuatim per plures annos incubuiſſet, demum Philoſophiæ, Theologię, ac Iuris vtriuſq; Laurea donatus, ab Vrban. VIII. Apoſtolicus Protonotarius creatus eſt. Reuerſus in Patriam ab Illuſtriſſimo,

mo, ac Reuerendiſſimo Alexandro Scappio Epiſcopo Placentino multis modis magno,ac ſuſpiciendo, omni officiorum genere, quo literarum cultores mire colit, Placentiam euocatur, vbi ab vniuerſo Vniuerſitatis Placentinæ Theologorum Collegio in Collegam cooptatus, à Sacra Placentinæ Eccleſiæ Synodo in Examinatorem, ac Iudicem Synodalem approbatus, à Sanctiſſimo Inquiſitionis Officio in Cõſultorem aſſumptus, & ad ſumma quæq. ſumma cum omnium acclamatione natus, & aptus, mirabilem ſe, æque ac amabilem præbet. Vir ſumma Ingenij gloria clarus, ſumma Ingenuitatis laude omnibus charus. Eius ſcripta ita examuſſim perfecta, &

parti-

partibus omnibus abſoluta ſunt, vt nec à liuore quidem, aut Momo ipſo valeant reprehendi. Prima adoleſcentis huius ætas manifeſtum ad Virtutes iter indicauit: nam penè puer edidit Opuſcula, quæ his titulis circumferuntur.

1. *Anagrammata Numerica. Cotonei 1629. in 4. apud Alexandr. & Io. fil. Bazachios.*

2. *De Cotonienſi Peſtilentia. Mediolani 1631. in 4. apud Io. Petrum Ramellatum, & Ghiſulf.*

3. *Fundamenta veræ Pronunciationis Latinæ. Cotonei 1629. in 8. apud Bazachios.*

4. *Dialogus de Vſu, & Abuſu, Mediolani 1630. in 8. ex Typographia Ambroſiana.*

5. *Proſodia Italiana. Mediolani*

 1640.

1640. *in* 8. *apud Io. Petrum Ramellatum*.

6. *Œconomiographis Orationis*. *Genuæ* 1538. *apud Petrum Io. Calenzanum*.

Vir factus edidit varijs in locis, ac temporibus varias Orationes, & Academicos Principatus, quæ omnia, & alia huiuſmodi tres in Partes diſtincta inſcibuntur.

7. *Schediaſmata Academica*. *Placentiæ* 1650. *in* 12. *apud Io. Bazachium*.

8. *Echo Genialis*. *Romæ* 1644. *in* 4. *apud Franciſcum Caballum*.

Editioni parata quam primum proferentur.

9. *Encyclopædia Mariana in duas, & viginti Partes diſtributa*.

10. *Ænigmatica Polyanthea*.

11. *Schediaſmatum Academicorum Volumen Alterum, &c.* Quæ Deo optimo maximo Auſpice ſuo tempore abſoluet, & niſi ſæua Parcarum manu nobis intercipiatur, admirabiliora in dies expectamus.

ANTONINVS GALEANVS
Placentinus Decret. Doctor,
Cathedr. Eccleſiæ Decanus, &c.

Epiſt. III.

Ad Petrum Franciſcum Paſſerinum.

PETRVS FRANCISCVS PASSERINVS.
Anagramma.
PRISCAS SVPERAS CANTV SIRENES.

SI PRISCAS CANTV SVPERAS, ſuauiſſime PASSER,
SIRENES, poſthac quis, niſi Phœbus, eris?

DO-

DOMINICVS AB ECCLESIA
I.V.D. Carminum lib. 2.

ODE XII.

Ad Petrum Franciſcum Paſſerinum.

ILle inquieti littus Atlantici
Pulſabit audax, Acroceraunia
Viſurus, & ſublime Cœlum
Dædaleo feriet volatu.
Quem cura mentis, quę labor ingenj,
Efferre laudes impulerint tuas:
O laureà donande Phœbi; o
Dulce decus, columenq. Pindi.
Nàm qualis alto gurgite, montium
Curſu relinquens deuia concito,
Cùm feruet, & (fruſtrà feraces)
Sternit agros, ſegeteſq; torrens.
Seù detonantem grandia ſæpe; ſeù
Te geſtientem molliùs eloqui;

Laudeſuè dicentem Deorum,
Attonito veneramur ore.
Altè repoſtis ſub penetralibus,
Arcana rerum ſemina, quæ potens
Natura cælarat, recluſis,
Mens agilis reſerat latebris.
Hæc quippe Cælum, compede libera,
Non vſitatâ tentat iter viâ, &
Spectat micans Triplex *in* Vno
Sole oculis Iubar irretortis.
Quæ diſſidentum iurgia Ciuium,
Orbemque Iuris dogmata tēperant,
Aſtræa, Terras quæ reliquit,
Te ſuperis docuit relictis.
Quos antè metâ victor Olympicâ
Fecit decoro puluere ſordidos,
Tu doctus æternùm virenti
Fronde volens redimire crines.
Triformis olim ceù fera, callidus
Nodos doloſis flexibus implicas;
Idemq; contortos, ſagacis
Æmu-

Æmulus Oedipodæ, reſoluis.
Tu, idm canorum verſus in Alitem,
Pennis fatigas aſtra fugacibus;
Viſure Diuos. Nos merentes
Pierias meditamur aras.

HIERONYMVS GHILINVS

Abbas Alexandrinus

Theatri Virorum Literatorum
tomo quinto.

NON è priua di quegli ornamenti più chiari, che ponno in ogni gran famiglia deſiderarſi, quella de' Paſſerini, in cui Siluio Cortoneſe già Datario, e poi Cardinale di Leon X. Fuluio Veſcouo di Auellino, ed altri con le Croci di S. Stefano, e con titoli di Feudi antichi reſero più glorioſo il nome di què Bonacolſi (dallo Scaligero, dal Torſellino, e da tanti altri Cognominati anch' eglino de Paſſerini) i quali per tanti anni mantennero il Primato nella Città di Mantoua. Quindi è fama, che diſcacciati da' Gonzaghi, nemici loro,

quà

quà è là diſperſi, nel Lodigiano alcuni ſi ritiraſſero; & ancor preſſo Lodi vna Villa detta la Paſſerina, e non molto diſtante da Codogno il Comune de Paſſerini, n'accertano delle facoltà grandi, che poſſedettero altre volte in quella Prouincia. Codogno è Terra molto nobile, e conſerua pur hoggidì con decoro il priuilegio antico della Cittadinãza di Piacẽza. Hanno quella illuſtrata molti ſpiritoſi ingegni, e trà più degni l'honora Pier Franceſco Paſſerini, il cui biſauolo era de' padroni del memorato Comune. I principij de' ſuoi ſtudij furono nel Collegio de' Nobili di Cremona, i progreſſi nelle Scuole di Brera. In Milano riceuette la Laurea nella Filoſofia, e Teologia, & nell'vna, e l'altra Legge, con quell' applauſo, che ſi poteua ſperare da chi già caro à pri-

mi

mi letterati, e chiaro co' propri inchio- ſtri riceueua le lodi per vna delle più fortunate penne d'Italia. Viue in Piacenza, doue la ſua virtù è ſtata molto ben conoſciuta. Euui Teologo di quel Collegio, Conſultore del Sant'-Officio, Academico Geniale, Apoſtolico Protonotario, Caualier aurato, Co. Palatino, Giudice, & Eſaminatore Sinodale, e Rettore della nobile Parochiale di S. Protaſo. L'opere ſue per lo più di ſtile Latino, in verſo, e in proſa, dimoſtrano ſomma erudizione: particolarmente le quì notate, con le quali s' illuſtrano le Stampe di quella Città. Schediaſmata Academica. Encyclopędia Mariana, *hauendo già molto prima ſtampato,* de Cotonienſi peſtilentia. Dialogus de vſu, & abuſu. *E diuerſi altri Opuſcoli.*

HIP-

HIPPOLYTVS MARRACCIVS
LVCENSIS
E Congregatione Clericorum Regul. Matris Dei

In Appendice ſecunda ad Bibliothecam Marianam.

P*Etrus Franciſcus Paſſerinus*, natione Italus, patria Placentinus; Philoſophiæ. SS. Theologiæ, ac I. V. D. Protonotarius Apoſtolicus, & S. Protaſij Placentiæ Rector; Vir gratiæ, officijque plenus; eloquentia, atq. eruditione inſignis: doctrina, & meritis eximius: integritate animique candore peramabilis: & (vt verbo dicam) omni virtutum genere cultiſſimus. Inter alia præſtantiſſimi ingenij præclara monumenta, teſtando ſuo

in

in Deiparam, (quam impenſiſſimè diligit) obſequio, editioni parat opus ingens, futurum præ ſole ſplendidum, & præ obrizo auro pretioſum, ſub titulo.

Encyclopedia Mariana ex duabus, & viginti partibus, quaſi Elementis, alphabetico ordine digeſtis compoſita; cuius partes ſunt.

1. *Adoratio Mariana.*
2. *Beneficia Mariana.*
3. *Cogitationes Marianæ.*
4. *Dicta Mariana.*
5. *Epitheta Mariana.*
6. *Figuræ Marianæ.*
7. *Gaudia Mariana.*
8. *Hierarchia Mariana.*
9. *Imitatio Mariana.*
10. *Kalendarium Marianum.*
11. *Lacrymæ Marianæ.*
12. *Merita Mariana.*

13. *No-*

13. *Nomen Marianum.*
14. *Operationes Marianæ.*
15. *Prædeſtinatio Mariana.*
16. *Qualitates Marianæ.*
17. *Reliquiæ Marianæ.*
18. *Similitudines Marianæ.*
19. *Templa Mariana.*
20. *Vita Mariana.*
21. *Xenia Mariana.*
22. *Zoili Mariani.*

Viuit adhuc, claretque Placentiæ, vir plane doctus, ac Deiparę Virginis amantiſſimus (cuius neceſſitudine, & beneuolentia plurimum glorior) anno, quo hæc ſcribimus, 1649.

IACO-

IACOBVS PHILIPPVS
Terzagius Mediolanenſis

Palatinæ Eloquentiæ
Regius Profeſſor

In ſuis Oratorum Elogijs.

Detumeſce Græcia
Superba Muſarum, ac Palladis Patria.
Athenæ, & Parnaſſus
In vno explicantur Paſſerino.
Quem oleis, lauriſq. inſerti
Omnes Eloquentiæ, & Poëſeos flores
Coronant.
Horum formã pretioſiorẽ facit cõſtantia:
Vbiq.locorum ęternitati vernabunt.
Non illos Ephimeræ beatitatis pompa

Cum

Cum ſole infante accendit,

Cum decrepito extinguit;

Sed ſemel ortos ſæcularis amænitas

Inocciduos in æuum trahit.

Ita laudes promeretur omnes,

Vt ſingularis in omnibus nullas admittat.

Omnium, qui laudare poſſent, facundiam

Vnus exhauſit facundiſſimus.

Ipſe ergo ſibi ſatis longum Elogium erit,

Licet breuis laudum omnium Epitome.

IACOBVS PHILIPPVS TOMASINVS EPISCOPVS ÆMONIÆ

In ſuis Sapientum Encomijs

Tom. III.

PEtri Franciſci Paſſerini Effigiem, & Encomium exhibet, vbi Eiuſdem tum Ingenij, tum Animi dotes, ac virtutes tam luculenter exponuntur, vt ad ampliſſimum tanti Viri Teſtimonium nihil addi poſſe videatur; quò Lectores breuitatis ergo in præſentiarum ablegantur.

IO.

IO. BAPTISTA SPADIVS

Ordinis Prædicat.

S. Theol. Magiſter in ſuis Anagrammatis,

Ad Petrum Franciſcum Paſſerinum.

PETRVS FRANCISCVS PASSERINVS.
EN SPICEVS PARNASSI FRVCTVS.

Quis ſis, & quantus vir, ſi quis quærat, Amice,
Nominis inſpiciat grammata verſa tui.
SPICEVS EN FRVCTVS PARNASSI, ea protinus aiunt.
Vel verum eſſe nihil, vera vel iſta ſcias.

IO.

IO.PETRVS CRESCENTIVS

Nob. Placentinus

Eques, & Comes Palat.

In ſua Hermathena Romana.

PIerfrãceſco Paſſerini *col volo dell' immortale ſua penna ſi è auuanzato alla ſublimità di quel merito, che gli huomini coſtituiſſe fuori della comunanza de' Mortali, ed eterna i loro nomi nella memoria de' poſteri. Poſſiede gli Allori della gloria, non meno, che di tutte le ſcienze: & honora il Collegio de i Teologi di Piacenza cõ gradi di Conſigliero del Sãt-Officio, Protonotario Apoſtolico, Co. Palatino, Caualiere aurato, ed Eſaminatore, e Giudice Sinodale; come anco l'Academia noſtra de i Geniali* *illu-*

illuſta con la diletteuole varietà, ed eſquiſita finezza de' ſuoi elegantiſſimi componimenti. Non ſi hà laſciato, che di paſſaggio, vſcir di mano Rime Toſcane; *ſe bene la chiarezza natia del ſuo ſtile ne anco in queſte ſen' và ſenza quelle viuezze, che meglio fà ſpiccare nelle proſe, & nei verſi Latini. Si pregiano le Stampe di queſta Patria per le di lui già publicate* Orazioni, Diſcorſi, e Bizarrie *ſpiritoſiſſime in varij generi, alle quali ſuccederanno frà poco altretante; oltre che ſi fatica allo' ntorno di vn' opra Scolaſtica, e Morale in honore di Maria Vergine: degna impreſa di vn' Ingegno ammirabile; alla ingenuità del cui Genio, ed alle cui gentiliſſime maniere ſi dichiara tenuta di vn' obligo indelebile la Turba de i Letterati de' noſtri tempi.*

LAV-

LAVRENTIVS LONGVS

Cl. Reg. e Congregat. Somaſch.

Soter. lib. XI.

TV quoq. carminibus meritò celebrabere noſtris,
Tergeminà nitidas fronde reuinɛte comas.
Nàm tibi Iura, Sophi, & ſubeuntes æthera Myſtæ
Certatim laudes contribuère ſuas.
Ianitor & Cæli, & referens cui vulnera Chriſti
Nomina nominibus bina dedere ſuis.
Cui magna exiguus fecit Cognomina Paſſer;
Nobile Cognomen, nobile Nomen habens.
Te quoties totis dicētē viribus audit,

Pen-

Pēdet ab eloquio turba coacta tuo.

Carmina tu nullum non permanſura per æuum,
Conſpicuus gemino laudis honore, canis.
Clara Syracuſij ſuperans inuenta Magiſtri,
Qui vitreo magnum condidit Orbe Polum,
Syllabicis menſes numeris concludis, & annum,
Atq. quater ſenis Tempora carminibus.
Quotq. dies peragant menſem; & qua quiſq. colatur
Per Menſem feſto Diuus honore, doces.
Tu merità donas, populo plaudente, coronà,
Quos Virtus tantum donat habere decus.

S *Finge-*

Fingere multiplici tu doctus Enigmata nodo;
Atq. eadem miris ferre ſoluta modis.
Tu ſacer immenſis operoſa volumina chartis
Committis, nullà commoritura die,
Mille quibus doctæ recipit præconia dextræ
Virgo (ſed intactà Virginitate) Parens.
Salue igitur noſtri non vltima gloria Sæcli,
Qui tantas vno pectore claudis opes.

LV-

LVCILIVS TERZAGIVS
Mediolanenſis
Oratoriæ Facultatis, & Græcarum Literarum
In Scholis Palatinis, & Platinis
Regius Profeſſor

In Epigrammatum Sylua ad Amicos.
De Petro Franciſco Paſſerino.

CYrrhæi Nemoris Sirenes, cedite Muſæ!
Aönides ſileat per iuga docta lyrę,
Et quidquid tonuit Romana, atque Attica Pallas,
Quidquid Apollinei perſonuere modi:
Nectareâ argutos vincens dulcedine Cycnos,
Nobilius PASSER fundit ab ore melos.

MAVRIT. CVRTEMILLIA

S. Th.D. Canonicus Pęnitent.

Eccl. Cathedr. Plac.

Et almi Theologorum Collegij Decanus,

In Schediaſmata Academica

Petri Franciſci Paſſerini.

Qiucunq. lumen in hoc volumen conijcis

St. Sta. Harpocrates, non Hermes,

Librum tene, labrum contine

Mentis aure hauri aureum melos.

Nullam hic ſiluarum Sirenem

Philomelam modulantem,

Sed Paſſerculum Tullianũ, nõ Catullianũ,

Muſarum Amorem, & Delicium,

Literatorũ aurib' audies erudite pipilãtẽ.

Moriar,

Moriar, ſi diutius te morer,

Tenebras cumulando tenebris,

Nubes ſoluam radio calami.

Bellum habes libellum

Viri doctarũ laureis frõtiũ pręmijs eximij

PETRI FRANCISCI PASSERINI.

Gratum omen hominis nomen,

Fama, typis inclytum, illuſtre.

Atramẽta ſcilicet, obſcura licet, glorię lucẽ pariunt,

Lucem parant nunquam occiduam.

Sume in manus Aonidum munus

Pindi opus precioſas portat, pandit opes.

Diſertis animi gratia lude pagellis.

Felix, ferax Eutrapelia!

Tempora

Nec vtilius, nec honeſtius falleris potes.

Rude hoc monumentum

Synceritatis ſtylo exaratum

Amicorum ſuauiſſimo

Mauritius Curtemillia

Ter. Cal. Feb.

MDCL.

MAVRITIVS DE CVRTE
Parmenſis Ord. Er. S. Aug.

Promptuarij Mathematici tom. 3. lib. 5. De Artificioſis cuiuſq. logiſtici inuolucri enodationibus.

Canon. de multiplici Arithmeticæ progreſſionis vſu.

ET ſanè hoc modò expoſitũ artificium fœliciter nimis ad praxim reuocauit Pet. Franciſcus Paſſerinus Doctor Placentinus Græcis, æquè ac latinis litteris, & omni eruditionis, atque orationis genere, ſiue ſolutè, ſiue ad numeros componat, excultiſſimus: qui in ſuis Academicis Schediaſmatis propoſuit hos duos ad Chriſtum hexametros verſus.

Lux, præ qua Sol-nox, nix-fit-pix, lex-mea-mi ſit.
Vox, per- quam quid- non fit-?

 ni

ni te-mens mea-nil vult.

in quorũ vtroq; inimitabili exiſtẽte antepenultima voce, quę cauda eſt dactyli, cęterę vndecim voces monoſyllabæ omnes, non violatis tamen carminis legibus, variabiles ſuccedunt modis 39916800. Sed, & continuauit hoc aliud hexametrum pro reſpõſione Chriſti ad Chriſtianum,

Si vis-me, da-mi te-: cor rem-vult, Cui-ſe dat.

quod, ſi *Cui* legas diſyllabũ, erit dactylicũ, ſin verò monoſyllabũ, erit ſpõdaicũ, atq. adeo cõſtans duodecĩ monoſyllabis vocib⁹, quarũ poſſibiles varietates (neq. plures vnquã admittere poteſt hexametrum carmẽ) accuſabit hic numerus- 479001600. Tandem, ſi non inimitabili, inſuperabili ſaltẽ

 artifi-

artificio elaborauit hunc verſum.

Lux, nox-, nix, pix-; mel, fel-nos, vos-, res, cui-par nil.

qui non ſolū, ſicut pręcedens, ex ancipiti pronūciatione vocis *Cui* eſt dactylicus; & ſpondaicus, & modis-479 001 600. mutabilis; Sed locum ſemper ibi grammaticali ſyntaxi, & proſodiaca diſpoſitione habentibus, litteræ, ſyllabæ, & dictiones omnes ſunt vſquequaq. numero pares:& pariter pares: & pariter impares: & impariter impares; & impariter pares, & inſuper conficiunt numerum cubicum, & cubocubicum, cuius quadrata radix eſt cubica perfecta, & ex radice quadrata cubocubica reſultans, ita vt, ſi benè examinentur, quæ de numeris quadratis, & cubicis

S 5 ſuo

ſuo loco diximus, variari poſſit hic verſus modis pluſquam 9867 455476 890000 0006 59 430067 005404 507600 Et tamen, cùm verſatilis ſit toties materialis lectio; magis tamen adhuc multiplex eſt formalis ſignificatio eiuſdem verſus, qui infinito, ſaltem ſyncategorēmaticè, admittit ſenſus, litterales, allegoricos, ſerios, iocoſos, philoſophicos, theologicos, arithmeticos, amphibologicos, emblematicos, & tot alios, quorum expreſſio laſſaret millies mille myriadas ſine intermiſſione ſcribentium, etiamſi vnuſquiſq. eorum millies mille millibus Briareis ęquiualens millies millia millium, & centies mille millium manus haberet, & ambidexter eſſet, &c.

IN-

INDEX
AVCTORVM, ET RERVM
Selectiorum.

A.

ACademia Genial. pag. 406
Academiarũ laudes 167
Acclamatio noui Principis 189
Actio Gratiarum 205. 239
Actores Fabulæ Mundanæ 102
Admirationis effectus 3
Adolphus Mekerchus 347
Ægyptij 214. 344
Ænigma De Alpha, &
Omega 382
De Ouo 182
De Sanguine 174. 184
De voce *Aue* 320
De voce *Dux* 313

Æquidici Verſus per G. 192
Per literam F. 194
Per literam V. 196
Per literam S. 198
Per literam C. 200
Per literam P. 203
Albertus Nicellus Comes laud. 166
Alciatus 247.264
Alexander Scappius Epiſc. laud. 262.388
Alpha quid ſignificet 382
Ambroſius 284
Amoris Diuini effectus 95
Angelicus Aproſius laudatur 284.354.
Auctorem laudat 386
Antoninus Galeanus 392
Antonius Nebriſſenſis 340
Antonius Poſſeuinus 337
Antropomorphitarum Hereſis

reſis 141
Apocalipſis 382
Apollo Horus 319
Aproſius Intemelienſis laudatur 284.354
Auctorem laudat 386
Archidamus 227
Arctatio quid ſit 358
Aretinus Guido 323
Ariſtophanes 215
Eiuſdẽ Dictio è duodetriginta partibus conflata. 308
Auctoris opera edita 389
Opera edenda 390.400
Encomia 385
Auguſta Tractatio quid 361
Auguſtus Imperator 259.361
Aulus Gellius 360
Auſonius 331

Ba-

B.

Bahuſius 377
Bailius 308
Barthius 284
Bartolus Daniel e Societate Ieſu 342
Baſilius 324
Beda 329
Bellarminus Cardinalis 337
Bencius Franciſcus 329
Bernardus 326
Bernardus Morandus laudatur 303
Bethlemici Præſepij Deſcriptio 32
Eiuſdem Triumphus 41
Bibliander 361
Boëtius 331
Bonalcolſi dicti Paſſerini 396
Budæus 333.365

Cæſa-

C.

Cæſarea tractatio quid 360
Calix Io: Baptiſta Laudatur 252
Callimachus 215
Cameranus Franciſcus 327
Carbilius 325
Carolus Aloyſius Scappius Senator Bononienſis 271
Carolus Galiſtonus 354
Cauſſinus Nicolaus e Soc. Ieſu 290.315.350
Chriſtianę perfectionis Cōpendium 381
Chronodyſtichon Io: Baptiſtæ Spadij 310
Chronographica, & Chronologica, quid 310
Chryſanthus Solarius laudatur 349

Cicero 215.247
Clauius 282
Cometæ quid portendant 116
Confalonerius Io: Aloyſius 387
Confaluus Gritius Ord. Prædic. laud. 99
Conſtantini Crux 349
Corona quid ſignificet 236
Coronæ Obſidionalis laus 222
Cotoneum Oppidum laudatur 386.397
Creſcentius Io: Petrus laudatur 300.336
Auctorem laudat 406
Crotus Ioannes 319
Cryptographia quid ſit 357
Eius ſpecies tres 357

D.

Daniel Bartolus 342

Darij Sympoſium 171
Decollare quid ſit 325
Decollata Ira quid ſit 325
Dei Epitheta 137
Dei Imago in Homine 138
Diaulica Tractatio 363
Diaulus quid ſit 363
Dio Hiſtoricus 360
Diocletiani Perſecutio 58
Diſputationis pugna deſcribitur 219
Diuinę Imaginis Speculum Orator 140
Diuini Amoris effectus 95
Doctorum Symbola 254.264
Dominicus ab Eccleſia I. V. D. 393
Dulcius Ludouicus 332

E.

Eloquens, vide Orator.

Elo-

Eloquens Actorum ſpectabiliſſimus 112
Eſt Bibliotheca viua 126
Eſt Oceanus, in quē omnis laus 115
Eloquentis Auctoritas 116
Diuinitas 129
Feſtiuitas 118
Memoria 119
Ornatus 116
Potentia 120
Prouidentia 117
Sapientia 118
Vehementia 116
Eloquentia Diuinæ Imaginis Speculum 148
Omnia perficit 126
Oppugnatur 217
Propugnatur 224
Eloquentiæ Epitheta 146
Symbola 213
Enni-

Ennius 366
Epeus Heros quis 315
Euſebius 349

F.

Fabula eſt Vita Hominum 102
Fariſellus Ordin. Seruorum laudatur 135
Februum quid ſit 280
Ferrarius Io: Baptiſta Soc. Ieſu laudatur 284
Fœminę venuſtioris deſcriptio 106
Franciſca Nicella commẽdatur 310
Franciſcus Bencius 329
Franciſcus Cameranus 323
Franciſcus Suuertius 308
Fuluius Paſſerinus Epiſcopus Abellini 396

Ga-

G.

Galiſtonus Carolus 354
Gellius Aulus 360
Gennadius 337
Georgius Henricus Soc. Ieſu laudatur 387
Ghilinus Hieronymus Abbas laudatur 345
Auctorem laudat 396
Gigantis Deſcriptio 104
Giſelinus Victor 339
Glareanus Scipio 354
Gradiuus cur Mars 294
Gratiarum Actio 205.239
Gregorius Nazianzenus 215
Gretſerus Iacobus Soc.Ieſu 344
Griphus Arithmeticus 376
De Ouo 182
De Sanguine 174.184
De voce *Aue* 320

De

De voce *Dux* 313
Gritius Conſaluus Ord. Prædicat. laudatur 99
Guido Aretinus 323
Gulielmus Bailius Soc. Ieſu 308

H.

Hegeſander 308
Heliæ raptus 75
Henricus Georgius Soc. Ieſu laudatur 387
Herculis à Pygmæis obſeſſi Deſcriptio 225
Hermannus Hugo Soc. Ieſu laud. 323. 326. 232. 357
Heros Epeus Simonidis quis 315
Heſiodus 215
Hieronymus 215. 359
Hieronymus Ghilinus laud. 327

Au-

Auctorem laudat 396
Hieroſolyma cur Occidens 24
Hippolytus Marraccius Lucenſis laudatur 327
Auctorem laudat 399
Homerus 214
Homines Fabulæ Mundanæ Actores 102
Dei Imagines 138
Participes omnium 145
Quomodo Deum repræſentent 142
Hominis Creatio 138
Epitheta 137
Horatij Coclitis facinus egregium 61
Horatius 214.248
Horus Apollo 319
Hortēſius Pallauicinus Soc. Ieſu laudatur 290
Hugo Hermannus, vide

Her-

Hermannus.

I.

Iacobus Philippus Terzagius 402
Iacobus Philippus Tomaſinus Epiſcopus laudatur 211
Auctoris Encomium ſcripſit 212.404
Ieremiana Tractatio 359
Ieſus Arca vera Dei 44
Flos Ieſſæus 38
Mel merum 326
Ignis Deſcriptio 73
Dei Imago 83
I H S cur Ieſus ſcribatur 346
Imago Dei in Homine 138
Quomodo 142
Indignatio quid ſit 324
Ioannes Aloyſius Confalone-

lonerius laudatur 387
Ioannes Apoſtolus 383
Io.Baptiſta Calix laudatur 252
Ab Auctore Laureã accipit 243
Io. Baptiſta Ferrarius laudatur 284
Io. Baptiſta Porta 357
Io. Baptiſta Spadius Ord. Prædic. laudatur 310
Auctorem laudat 405
Ioannes Crotus 319
Io. Franciſcus Lauretanus laudatur 354
Io. Petrus Creſcentius laudatur 300.336
Auctorem celebrat 406
Ioannes Rauiſius 325
Ioſephus Scaliger 308
Ira quid 324
Iulius Cæſar Scaliger 314
Iuſti-

Iuſtinianus 260
Iuuenalis 330

K.

K. Calumniatoribus imprimebatur 332
Kalendarium Symbolicum 269
Kalumnia ſcribebatur antiquitus 332

L.

Laurẽtius Longus Somaſch. Auctorem taudat 408
Laurentius Martyr. deſcribitur 75
Eiuſdem Triumphus 92
Eiuſdem Vrbanitas 90
Lauretanus Io. Franciſcus laudatur 354

Lignum Vitæ quid 48
Lipſius 332.345.
Literæ numerales latinorum ſeptem 309
Longus Laurentius 408
Lotharius 260
Lucilius 308
Lucilius Terzagius Auctorem laudat 411
Ludouicus Dulcius 332
Luna Inuidiſſe dicitur Soli 5
Eiuſdem Deſcriptio 7

M.

Magi Adoratores Chriſti 23
Aſtrologi fuere 21
Progenitores noſtri 13
Magiſterij Symbola 254.264
Magorum Stella quid 5
Cælo ſplendidior 9

Chri-

Chriſti Stellæ cur dicta 19
Cur euanuerit 25
Luna lucidior 5
Sole ſplendentior 6
Stellis omnibus clarior 9
Manutius Paulus 309
Maria Virgo merum mel 326
Marraccius Hippolytus laudatur 327
Auctorem laudat 399
Mars cur Gradiuus dictus 294
Martialis 248
Maſculus Io. Baptiſta laudatur 298
Maſottus Galiſtonus quis ſit 354
Matthæus 292
Mauritius Curtemillia Auctorem laudat 412
Mauritius de Curtis laudatur 367

Auctorem laudat 415
Maurus Terentianus 351
Mekerchus Adolphus 347
Mel *Ieſus*, & *Maria* 327
Mel ſine fine quid 326
Michaël Angelus Fariſellus laudatur 135
Militis glorioſi Deſcriptio 105
Morandus Bernardus laudatur 303
Mulieris pulcræ Deſcriptio 106
Mundi Creatio 137
Miracula 42
Mundus Megalocoſmus 137
Theatrum eſt 102
Murua quid ſit 363
Muſici ſoni ſex 323
Mutnegra quid ſit 363

N.

Nato Chriſto ſtupent omnia 1

Na-

Nazianzenus 215
Nebriſſenſis 340
Nicella Franciſca laudatur 310
Nicella Viola Maria 380
Nicellus Albertus Comes
laudatur 165
Nicolaus Cauſſinus Socie-
tatis Ieſu 290.315.350
Nicolaus Reuſnerus 339
Nolanus Paulinus 340
Nouatinus 286.327

O.

Obſidionalis Corona quæ 222
Octauius Imperator lau-
datur 101
Oldaurus Scioppius 354
Omega quid ſignificet 382
Orator Deus propemodũ
alter 29.148

Diuinę Bonitatis exem-
plar 150
Diuinæ efficacitatis 154
Diuinæ Iuſtitiæ 150
Diuinæ Liberalitatis 151
Diuinæ Miſericordiæ 151
Diuinę Omnipotentię 155
Diuinę Perſpicacitatis 152
Diuinæ Sapientiæ 152
Orator Proteus eſt 158
Speculũ Diuinæ Imagi-
ginis 140
Voluntatum Impe-
rator 156
Orator vide Eloquens
Oratoris Epitheta 157
Imperium 155
Otium damnatur 251
Ouidius 280.282.288.321
Ouum an prius, vel poſte-
rius, quam Gallina 283

Pa-

P.

Paradiſi Terreſtris Deſcriptio 46
Paſageſius quis ſit
Parthenius Proteus Balluſij variabilis 1022. modis 366
Paſſerini Petri Franciſci Encomia 385
Eiuſdem Opera edita 389
Eiuſdem Opera Edenda 390. 406
Paſſerinorum Familia laudatur 356
Eadem cum Bonacolſis 396
Paſſerinus Fuluius Epiſc. 396
Syluius Cardinal. 396
Patris Cognomentum quibus datum fuerit 237

Paula de Haſtis Auctoris Mater laud. 386
Paulinus Nolanus 349
Paulus Manutius 309
Pauſanias 215
Pererius Benedictus Societ. Ieſu 340
Perfectionis Chriſtianæ Compendium 381
Eiuſdem Gradus tres 383
Petrus Paulus Rolandus laudatur 261
Philoſtratus 215.225
Philtrum quid ſit 286
Pierius Valerianus 319.329
Pileus Quadratus quid ſignificet 254
Pileus Symbolum Libertatis 257
Pius Rubeus Hieronymianus Monachus 317
T 4 Pla-

Plato 215
Plautus 308
Plinius 333
Plutarchus 214.246
Porta Io. Baptiſta Neapolitanus 357
Poſſeuinus Antonius Societ. Ieſu 337
Præſepij Bethlemici Altitudo quæ 37
Eiuſdem Celſitudo 51
Deſcriptio 32
Epitheca 52
Latitudo 36
Sanctitas 45
Triumphus 41
Principis Superbi Deſcriptio 105
Priſcianus 309
Probus Grammaticus 360
Proteus Chriſtianus 355

Alius Parthenius Bahuſij 377
Alius Variabilis 39916800. modis 365
Alius Variabilis 479001600. modis 366
Idem Variabilis innumerabiliter 374. 418
Prudentius 321
Eiuſdem laudes 337
Eiuſdem Myſtica Figura proponitur 337
Eiuſdem eadem Figura exponitur 340
Pſychomachia quid 338
Pulcritudinis Deſcriptio 113
Puteanus Ericius commendatur 357. 377
Pygmęorum Herculē Obſidentium Deſcriptio 225

Quingenti Latini quid 309

R.

Rabbini quo modo crearentur 259
Rauiſius Textor 325
Reciproci Verſus 364
Retrogradi Verſus 364
Reuſnerus Nicolaus 339
Rhetorica multipliciter
Oppugnatur 217
Propugnatur 224
Rhytmus Monoſyllabicus 175
Richardus 326
Rolandus Petrus Paulus laudatur 261
Romæ Laus 54

Romana Tractatio 361
Romanus Creſcentius Io. Petrus laudatur 300.336
Auctorem cõmendat 406
Roſalinda Bernardi Morādi laudatur 303
Rupertus 339

S.

Sanguis Ænigma proponitur 174
Explicatur 184
Sapricius Sapricij quis Auctor 354
Scaliger Ioſephus 308
Iulius Cæſar 314
Scappius Alexander Epiſcop. Placent. 262.388
Io. Aloyſius Senator Bononienſis lauda-

datur 271
Sciendi deſiderium omnibus innatum 246
Scioppius Oldaurus quis Auctor 354
Scipio Glareanus 354
Scribēdi modi viginti quatuor indicantur 322
Sebaſtiani Martyris Deſcriptio 56
Eiuſdem Martyrium 62
Seneca 249. 331
Serui Inſcripti quinam dicerentur 332
Inuſti 332
Literati 332
Notati 331
Signati 331
Stigmatiæ 332
Stigmatici 332
Seruiles Literæ quæ nam fue-

fuerint 331
Simonidis Heros Epeus quis fuerit 315
Solis Deſcriptio 8
Eiuſdem laudes 179
Sophi qui vocarentur antiquitus 259
Spadius Io. Baptiſta Ord. Præd. laudatur 310
Auctorem laudat 405
Speculum Diuinæ Imaginis Orator 140
Sphinx Ioco-ſeria proponitur 305
Exponitur 307
Spiritus Vitalis Deſcribitur 185
Spurij Carbilij Inuentum quid 325
Stella Magorum cur euanuerit 25
Quid fuerit 5
Vide

Vide Magorum Stella.
Stephanus Paſſerinus Auctoris Pater 386
Stigmatiæ, & Stigmatici Serui qui 332
Stoici 186
Studioſorum Vita deſcribitur 249
Stupor omnium Nato Christo Domino 1
Suetonius 325.360.361
Superbi Hominis Deſcriptio 105
Suuertius Franciſcus laudatur 308
Syluius Paſſerinus Datarius, & Cardinalis 396
Symbola Eloquentiæ plurima 213
Symmachus 259.278
Sympoſium Darij Deſcribitur

bitur 171

T.

T. Furibus ignominiæ cauſa imprimebatur 332
T. Signum Crucis Commiſſæ 345
Tau quid 344
Terentianus Maurus 351
Terra Deſcribitur 33
Mater, & Matrona 29
Punctum eſt 36
Theocritus 214
Thraſonis Glorioſi Militis Deſcriptio 105
Thuilius Mariæmontanus laudatur 294
Tomaſinus Epiſc. Æmoniæ laudatur 211
Auctoris Elogium
Scri-

Scripſit 212.404
Tractatio quid ſit 358
Triſmegiſtus 318
Trithemius 358.262
Eiuſdem Tractatio 362
Tullius 247.331
Turnebus 358
Typographorum artificiū laudatur 207

V.

V. Apud Romanos quid ſignificet 309
Vana omnia 384
Valerius Maximus 331
Varro 358
Vaſquez 318
Verbum Diuinum Dei Patris Speculum 141
Verſus Æquidici, ideſt, ex

Dictionibus inchoantibus ab eadem litera G. 192
Ab eadem litera F. 194
Ab eadem litera V. 196
Ab eadem litera S. 198
Ab eadem litera C. 200
Ab eadem litera P. 203
Verſus ex duabus tantum dictionibus conſtantes 309
Ex puris Monoſyllabis 366.374
Verſus Reciprocus 364
Retrogradus 364
Variabilis 1022. modis 377
Variabilis 39916800 modis 365
Variabilis 47900160. modis 366
Vel innumerabilibus modis 374.417
Vi-

Victor Giſelinus 339
Victorioſa Loquacitas dicta Rhetorica 217
Vindictæ longa; ſed decollata Cupido quæ 224
Viola Maria Nicella laudatur 311.380
Virga Mercurij Symbolum Eloquentiæ 214
Virgilius 282.288
Vita Hominum Fabula Hiſtrionica 122
Vana Vita eſt 384
Vitalis Spiritus quid differat à Sanguine 185
De eodem Ænigma 180
Ænigma diſſoluitur 184
Voluntas Arx Hominum Inuincibilis 156
Vincitur ab Oratore 156
Vox è duodetriginta partibus

bus compoſita 368

X.

XPS cur Chriſtus ſcribatur 347

Z.

Zeno Stoicorum Princeps 213
Zonaras 349

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ER-

ERRATA

TYPOGRAPHICA

Quædam ſic corriguntur.

Pag.	Lin.		Corrig.
34.	3.	nuta	nutu
148.	19.	eſt	eſt.
192.	16.	*Germem*	*Germen*
216.	20.	ſimilimam	ſimillimam
327.	14.	Hippolitus	Hippolytus
377.	20.	10022.	1022.
310.	14.	*quI*	*qVI*
310.	16.	*tendIt*	*tenDIt*
333.	10.	*opex*	*apex*

Reliqua Relegentibus Relinquuntur.